# ANIMASTICA
## P. WOLTERI SCHOPEN.

# ANIMASTICA SUPPOSITA

*Sive*

# *DISPUTATIONES SCHOLASTICÆ,*

Super universam materiam de Anima clarâ brevitate, & magnâ claritate concinnatæ,

*Potissimùm quidem ad mentem Doctoris subtilis Scoti, sed in maximis difficultatibus sententiarum varietate pro genio veræ scientiæ amatorum exornatæ.*

*AUTHORE*

P. WOLTERO SCHOPEN

DE JULIACO,

Ord. Min. S Francisci Conventualium, SS. Theologiæ Doctore ac Professore in Conventu Wratislaviensi p. t. studiorum Regente &c.

*NISSÆ, Typis Joannis Josephi Krembsl,*

ANNO M. DC. XCVII.

*DEDICATIO*

REVERENDISSIMO

*ET*

ILLUSTRISSIMO

*Domino, Domino*

# JOANNI HENRICO SCWEERTZ,

S. R. I. Libero Baroni

de Reeſt,

*HÆREDITARIO*

IN

*Magno Peterwitz, Löwvenſtein, & Niclasdorff*:

CATHEDRALIS ECCLESIÆ

WRATISLAVIENSIS

PRÆLATO

Scholaſtico, Canonico.

*Serenissimi Principis*
FRANCISCI LUDOVICI
Comitis Palatini (Tit.) Episcopi
Wratislaviensis, &c.

CONSILIARIO,

*NEC NON*
In Spiritualibus
VICARIO
GENERALI
&c. &c.

VIRO AD MAGNA
NATO,
*Artium liberalium ac*
*disciplinarum amatori,*
E T
Fautori Mirifico.

*Domino Majora*
*Promerito,*
Animarum, ac gregis fidelium Curatori, & Inſpectori Zeloſiſſimo.

ILLUSTRI
*AD*
CELSIORA
*Evehendo virtutibus, ac ſingulari indole, Mœcenati*
ET
Protectori ornatiſſimo.

*Cui ſe & induſtriam ſuam conſecrat*

humillimus ſervus.

Fr. WOLTERUS SCHOPEN
de Juliaco.

---

*Cenſurata & approbata*
cum permiſſu ſuperiorum.

*Epigramma ad Authorem.*

JUlia te genuit, docuêre Colonia, Clivi,
Padua, Aquisgranum: laurea ſerta tibi
Praga dedit; civitas Wratislavena recepit
Docturam; exſpectant te loca plura nìmis.
Non Præceptorem, tibi vix Fortuna Magiſtrum
Præbuit in trivijs commilitando Scholis.
QuotSophiæ partes ſparſim conſcripſeris, ipſe
Vix reſcies, imò Theologia minùs
Tradidit; hinc mirum quòd non diſcendo, docendò
Ætas tam properè diſputet eximiè.

*Accinebat poſt completam Phyloſophiam*
Faventiſſimus (Authori rarus) Anonymus.

*Epygramma ad Anonymum.*

GLoria te vexit, revehétque quadriga favoris,
Nil nisi per ventos ambitiosus habet.
Te docuit fucus, te nutrit fumus & umbra;
Pro lauro paleam proxima fata dabunt:
(Gratia nulla perit, quam gratia sola laborum.
Sic fuit, est, & erit, cætera textus habet)
Interea grates solvo, quod solus amico
Legeris intuitu, quæ ratione procul
Carpunt vicini surdi, mutíque Sophistæ,
Plurima qui carpit, pauca subinde capit.

*Rescribebat ante inchoãtam familiaritatem*
Addictissimus Anonymo (*amarus*) Author.

# *PROLOGUS*
## IN ANIMASTICAM.

HÆc facultas dicenda est *ſcientia ſpeculativa animæ*, præſertim ſuppoſitâ animæ exiſtentiâ, ſive ratione, ſive fide cognitâ; ita tamen, ut ſi ex purè revelatis, *ſinè rigore habitus ſcientificus* appellari deberet *contemplans animam rationalem*: quæ eſto ordinem ad corpus diceret, adæquatam nihilominùs facultatem quodammodo in obliquo à Phyſica dependentem conſtitueret, ex quibus facilè mentem meam perſpexeris circa ea, quæ in prooemio tractari ſolent, quorum probæ deſumantur ex ijs, quæ alibi paſſim ſunt dicta, aut in theologicis diſcutientur: Cæterùm quâ combinatione Ariſtoteles attulerit libros de anima, ſequaces duntaxat Phyſici examinare tenentur.

*TRA-*

# Tractatus Unicus.

## In Libros de Anima.

SUpponet ergò potiſſimùm præſens Tractatus, quòd detur anima, non obſtante, quòd inquiretur: an hujus, vel illius animæ exiſtentia ratione convinci queat, proinde in principiis communibus ùt plurimùm diſcurram, tum ob rationes in Phyſica allatas, tum quia malo pluribus prodeſſe, quàm mihi ſoli placere, donec uberior me explicandi fuerit occaſio: interim ſub aſſiſtentia Supremi Numinis ſit.

## DISPUTATIO I.

### *De Anima ſecundùm ſe.*

TRiplicem eſſe animam, quippè rationalem in homine, ſenſitivam in bruto, vegetativam in planta, communior hac ætate eſt opinio, circa quam quid teneam mox patebit.

### QUÆSTIO I.

#### *An detur Anima?*

DIco: fide docemur quòd detur anima ratio-

rationalis, eáque immortalis, cæterùm solâ ratione néque demonstratur immortalitas animæ rationalis, neque existentia ullius animæ, quæ sit forma Substantialis. Hæc in terminis à nemine est tradita, habet autem diversas partes à diversis Authoribus pro-& impugnatas.

Declaratur: *primò* affirmo, quòd fide teneamur credere duo, quippè dari animam rationalem, quam Leo X. definivit: esse formam substantialem; & quidem hanc esse immortalem sub eodem Pontifice in Lateranensi Conc. & Viennensi sub Clemente V. definitum est, adeóque in hoc conveniunt omnes Catholici, imò & Christiani, ac Hebræi ex scriptura idem docentur. *Secundò* dico: quòd nullâ ratione convinci possit demonstrativè existentia ullius animæ per modum formæ substantialis in sensu Aristotelico: & hæc pars sequitur ex dictis in Physica Tract. 1. Disp. 1. q. 3. contra omnes modernos Philosophos. *Tertiò* assevero, quòd (suppositâ existentiâ animæ rationalis sive fide, sive ratione cognitâ) ejus immortalitas demonstrativè probari non possit, sed ad summum topicè ab illis, qui naturaliter in cognitionem Dei venerunt, & hoc communiùs asseritur post Aug. 13. de Trin. c. 8. licèt Mastrius dicat RR. communiter docere immor-

immortalitatem animæ rationalis naturaliter demonſtrabilem, inter quos aliqui hoc de omni anima tradunt, quibus inquit favere Ferchium virum eximium Paduæ Theologum in via Scoti anteceſſorem. primâ & ſecundâ parte jam probatis alibi

Probatur & tertia: ſi animæ immortalitas poſſet demonſtrari, vel id fieret à cognoſcente naturaliter Deum, vel hunc ignorante, non ſanè ſecundum, qui enim neſcit ea quæ natura dictat in quolibet, quomodo reſciet illa, quæ, Aug. ci. ait, paucos Philoſophos aſſecutos eſſe, id eſt neminem, quòd conſtet evidenter; néque primum, talis enim ſciens Deum eſſe perfectiſſimum, poſſet quidem ſpiritualitatem fortè inferre, ac etiam arguitivè immortalitatem dependentem, (ſolus enim Deus independenter talis eſt, ut quoque habetur 1. ad Timoth. 6.) ex nullis tamen præmiſſis certis, ac evidentibus. Confirmatur: de facto nemo demonſtravit eam; Ergò, &c.

Reſponderi poſſet: quòd moraliter loquendo nequeat demonſtrari, quæ enim nunquam facta ſunt, moraliter cenſentur impoſſibilia; phyſicè tamen poſſe cum naturali concurſu Dei, cùm in hoc nulla ſit implicantia. Contra: ex his quæ pro ſtatu iſto ingenium, etiam perſpicaciſſimum novit,

novit, ad summum possibilitatem immortalitatis evinceret; deinde ex visionibus, spe præmij æterni, &c. Topicè eandem de facto dari vix concluderet. Confirmatur: existentiam animæ rationalis, & essentiam illius pro statu isto nemo exactè probavit solâ ratione; Ergò nec immortalitatem probabit.

Respondent plurimi: hoc Antecedens quoad primam partem esse falsissimum, & dicunt Aristotelem & plures animæ rationalis existentiam, & spiritualitatem agnovisse. Contra: dato quòd visi sunt probare, id factum est ex falso supposito, *quòd detur materia prima, & forma*, sed ex falso supposito nihil demonstratur; Ergò. Deindè illi quidem videntur ostendisse, quòd *nequeat probari naturaliter mortalitas animæ*, si quis enim hoc probaret contra fidem ageret, at per hoc non demonstrârunt immortalitatem ùt Sco in 4. d. 43. q. 2. ostendit, quem quidam obiter legentes censurare præsumpserunt. Tandem solvendo fundamenta oppositæ constabit.

Obijcies I. contra primam partem: Gen. 37. *non interficiamus animam ejus*. Job. 14. *omnis præscinditur spes resurgendi*; Eccl. 3. apertè dicitur, unus est interitus hominum & jumentorum, sicut moritur homo, sic & illa moriuntur. idem Sap. 2. & alibi dici-

dicitur; Ergò nec est de fide immortalitas. Respondeo: retorquendo loca illa quibus animam post mortem constat Lucæ 23. *hodie mecum eris in paradiso* Matt. 10. *animam autem non possunt occidere*, igitur audi conciliatricem Ecclesiam, in qua viri sancti priores exponunt loqui de corpore, velim persona impij, quia addit, *hæc cogitaverunt impij, & errârunt, bibamus & edamus, cras moriemur*, per animam usu venit & vita, & quòd hæc fieri videantur *si naturaliter loquamur*. Sic generaliter responde ad rationes in contrarium.

Obijcies II. contra secundam partem; Deus, & Angeli naturaliter possunt demonstrari; Ergò & anima rationalis, cùm id jam à multis factum sit. Respondeo: nec Angelos nec animam talem esse, quam credimus, independenter à fide monstrari posse de facto, licèt forsitan absolutè, si factum videtur, censeo quòd topicè.

Instabis: nulla est implicantia quin de facto demonstrativè probetur eorum existentia, sicùt Dei, & quis negabit Aristotelem, ac alios novisse animas, licèt erraverint putando quòd sint mortales, vel æternæ à parte ante, & transmigrantes. Respondeo: esse implicantiam ex parte potentiæ quâ in statu isto pœnali existentis, néque eorum existentia est tam necessaria

ùt

ùt ratione ſciatur, quàm Dei, ſufficit enim fide notas eſſe, at Deus eſt qui eſt, & quaſi per ſe notus, de quo tamen in l. 1. Sent. ad alia jam patet ex dictis.

Obijcies III. probando im̃ortalitatem: omne ens ſpirituale, & appetens immortalitatem, ſimúlque intelligens & intelligibile, eſt immortale, ſed omnis anima rationalis eſt tale ens; Ergò, &c. Reſpondeo tranſeundo Majorem, utpote de ſe nec certam, nec evidentem Philoſopho puro, Diſtinguendo Minorem: ſed tale eſt anima ex fide C. ratione N. niſi enim ex fide ſupponeretur illius exiſtentia, nihil certi foret.

Inſtabis: independenter à fide conſtat dari animam rationalem, eâmque eſſe Spiritualem, non tantùm topicè, ſed analyticè; Ergò quoque ſic illius immortalitas demonſtrabitur. Probatur Antecedens: quid enim eſſet homo, & quid intellectus? Reſpondeo brevibus multa: quòd ſicut pro ſtatu iſto neſcimus quæ ſit differentia hominis, ſic verè nihil evinceres ſolâ ratione cum homine, quàm cum bruto, ut adhuc de ſenſu interno loquar, & ſuppoſitâ ſemel exiſtentiâ animæ, faciliùs immortalitas demonſtraretur, quàm ipſa exiſtentia quæ ſupponitur. Porrò illi qui olim dicebant hominem eſſe animal *mortale*, ſi

intelle-

intellexerint hoc ſenſu, in mortalitate differens, verè ſaniùs docuerunt, quàm moderni.

Inſtabis: ſi homo ſit animal in mortalitate differens, hoc eſt moriens, ità ut anima maneat; Ergò immortalitas patet ratione, quia definitio eſt per ſe nota. Reſpondeo Negando Sequelam: tum ex dictis de tali propoſitione logica; tum quia hæc definitio hoc ſenſu à fide dependet.

Inſtabis: ſaltem ſuppoſitô quòd anima exiſtat, & cognoſcatur ſpiritualis quomodocunque, ac ſuppoſita quoque cognitione Dei, inmortalitas animæ erit demonſtrabilis, quo ſenſu RR. idipſum docent. Probatur Aſſumptum: talis enim poteſt cognoſcere Deum eſſe juſtum, proinde peccatores hìc in delicijs viventes alibi debere puniri; miſeros verò ac probos remunerandos eſſe. Reſpondeo: quòd cognoſcat Deum eſſe juſtum & ſimul liberum Dominum omnium C. ſecus N. vel ùt alij, eſſe juſtum in ordine ad præmium, ac pœnam quæ de facto ſunt N quamcunque C. Si petas quomodo ergò fur puniri, heros præmiari potuiſſet? & quomodo Ethnicus pro patria moreretur, niſi immortalitatem agno-

agnoſceret? Reſpondeo: niſi agnoſceret demonſtrativè N. topicè, id eſt ex motivis rationabilibus cum fide hac, vel illa tranſeat, ſic dico: nam pæna poſſet cenſeri infamia relicta, vel aliud. Nec dicas: ſic arguere D. Petrum, imò ipſam ſcripturam, ſufficit quòd arguitivè.

Inſtabis: cognito Deo, & ſuppoſitâ exiſtentiâ animæ, illa appetit videre Deum, eſſe beata, &c. ſed hæc in mundo cernit fieri non ſolere; Ergò concludit immortalitatem. Reſpondeo præterquam quòd de beatitudine æterna nihil ſciret: hæc non niſi dubiè concludere, ſicut & ſpiritualem, ac independentem à corpore &c.

## QUÆSTIO II.

### *Quid ſit Anima?*

DIco: Anima eſt actus primus corporis phyſici organici potentiâ vitam habentis ità communiter cum Ariſt. 2. de anima (ſuppono autem dari animam in homine ex fide ſpiritualem & immortalem, ac *tranſeundo quòd in brutis detur ſenſitiva, & plantis vegetativa, in re enim non niſi ex ſenſibilibus demonſtrabilem teneo*).

Probatur ex regulis bonæ definitionis, & declaratur: *primò* dicitur *actus* ſubſtantialis informans corpus, id eſt denominationem animati tribuens, quam non dat

An-

Angelus assistens corpori assumpto; *secundò* dicitur *primus* dignitate, & in ordine ad operationes, quæ sunt actus secundi, non verò primus simpliciter, ut est solus Deus, nec primus ordine, ut est forma corporeitatis; dicitur *tertiò corporis*, id est: compositi ex illa cum forma corporeitatis; *quartò physici* ad removendam significationem mathematicam, & artificialium; *quintò organici*, id est: partès integrales habentis v.g. caput, pedes, &c. *ultimò*: *potentiâ vitam habentis*, quas particulas putant cum organico coincidere, proinde unum ex his ponendum, sed fortè ultimæ particulæ confirmant priores, licèt enim potentiâ vitam habens necesse sit organicum, non ècontra, sicut & omne organicum est physicum, non ècontra, ubi per *vitam* intellige operationes vitales, satiùs quam per ly *corporis* materiam, & per vitam putares vitam in actu primo.

Confirmatur: alibi inquit Philos. animam esse principium, quo vivimus, sentimus, & movemur, & simi les descriptiones disjunctivè huic, vel illi animæ convenientes, sed per has prior definitio roboratur; Ergò bona est, nam clariùs exprimitur, quòd sit principium intrinsecum vitalium operationum.

Obijcies I. superfluunt multæ particulæ, & aliæ magis necessariæ non exprimuntur. Ergò &c. Probatur Antecedens: tum quia omne corpus organicum est physicum & potentia vitam habens; tum quia nescitur an sit actus substantialis, vel accidentalis, assistens, vel informans, intrinsecus, vel extrinsecus. Respondeo Negando utramque partem, primam ob rationes inconvertibilitatis, & alia explicata; alteram, quia hæc sufficienter implicitè astruuntur, & ultra, per *primus* substantialitas, per *actus* informatio, nam forma assistens non vendicat sibi hoc nomen simpliciter, sed cum addito assistens, sicut homo pictus nequit dici homo, nisi addatur pictus, intrinsecus quoque per actus, quia extrinsecus vocari consuevit agens.

Instabis: saltem non est rigorosa, cùm non sinè explicatione utcunque obscura, & Angelis primâ fronte competere videatur. Respondeo: quòd quidem sit quodammodo descriptiva, sed in sententijs physicæ ordinariæ facilè reducenda ad rigorosam; Angeli verò nec proprio corpori, nec organis assistunt, sicut de iridis coloribus fama est.

Obijcies II. anima est potentia; Ergò non actus. Probatur Antecedens: habens

bens animam poteſt exercere operationes, non verò carens illâ; Ergò &c. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens? eſt potentia realiter reſpectu operationum C. reſpectu corporis N. ipſum enim informat, non prima in ordine, cùm ſupponat informatam actu incompleto, ſed primitate virtutis, ac excellentiæ.

Inſtabis: neque eſt actus primus virtute reſpectu corporis, hoc enim ad operationes corporeas & ſenſibiles habet virtutem ſufficientem diſpoſitione organorum, ac temperamento qualitatum ex mente Galeni. Reſpondeo: hæc tranſire negatis principijs communibus, & purè philoſophicè loquendo, non aliter. Nec dicas: Ergò Ariſtoteles benè agnovit animam, & formas alias, & cum eo ſequaces, cùm fides idipſum ex poſt facto docuerit. Reſpondeo: ſi verè ab Ethnicis cognita fuerit rationalis, id inſpirante Numine, nam & prophetiæ illis datæ. Cæteri dependenter à fide ex umbra lucem facere ſunt conati.

Colliges: quando ſolam animam rationalem ex fide admitto, me non coincidere cum Manichæis, qui idem docere citantur, illi enim plantas, & bruta rationalem habere cenſebant, citiùs purè philoſophicè oſtendam bruta rationalia eſſe,

 at-

atque veram differentiam hominem inter & brutum latere, nisi dixeris quòd homo moriatur aliter quam bruta. Cæterùm admissâ sensitivâ, & vegetativâ, plures vel dantur, vel sunt possibiles, ut in quadam serie de gradibus viventium in Tractatu de Angelis monstrabo: quibus supposititie admissis sit.

## QUÆSTIO III.

*An sint plures Animæ in uno vivente?*

DIco: quòd suppositis principijs Aristotelicæ Physicæ, successivè debeant esse plures animæ in generatione hominis, & quòd sit intrinsecè probabile easdem simul manere, licèt probabilius sit, præsertim extrinsecè, quòd in quolibet vivente sit una duntaxat anima: in mea verò opinione operationes vegetativæ, ac sensitivæ proveniunt ab hac, vel illa dispositione sensibilium. Conclusio habet plures partes, unde Declaratur, *primò*: dicitur: suppositis &c. quòd in generatione hominis successivè sint plures animæ, ita Arist. 2. animal. D. Thom 1 parte q. 78. art. 3. *Deinde* quòd sit probabile intrinsecè illas simul manere v. g. in homine sensitivam, & rationalem, ita Nominales contra alios Philosophos. Quòd verò rationes Nominalium solvi posse videatur, & plures censeant

ſeant manere unam in homine *tertia* pars eſt; *Quarta* tandem, quòd admiſſâ ſolâ rationali anima in rerum natura, meliùs dicatur operationes ſenſitivas provenire à certa diſpoſitione ſenſibilium, & ab alia vegetativas, mea eſt opinio, in quam inclinârunt Galenus, Democritus, & alij veteres, ex dictis probanda.

Probatur prima pars: antequam infundatur anima rationalis corpori, fœtus augetur, & creſcit; Ergò debet habere animam. Reſpondent: fœtum augeri per juxta poſitionem C. per converſionem alimenti in alitum N. Contra: à die conceptionis usque ad quadrageſimum, & octuageſimum, quo infunditur anima pro diverſitate ſexûs, non minùs propriè creſcit fœtus, & ſentit embrio, ac aliud vegetans & ſentiens; Ergò propriè, & ita Philoſoph. ci: intelligit dum ait, hominem prius vivere vitâ plantæ, deinde animalis &c.

Reſpondent: illum loqui de vita in actu ſecund. C. in actu primo N. Contra: ante infuſionem animæ rationalis ſunt operationes aliarum animarum propriè; Ergò & illæ, ac vita in actu primo. Confirmatur: ex eo quòd pellens fœtum homicida dicatur; ſed Reſponſio ſufficit ad hoc, quòd diſpoſitionem tollat; Cæterùm ſi in fœtu, & embrione negaveris ani-

mam, æquè in plantis, & brutis negare poteris.

Respondent: esse ibi animas usque ad adventum rationalis C. simul N. Contra est: quòd quidem in lib. de Dogm. Eccles. habeatur (contra Syrios ponentes animam animalem immixtam sanguini præter spiritualem) *dicimus unam esse animam in homine*, idque communiter doceatur; aliàs valde apparens est, quòd rationalis adveniens priores non expellat; tum quia rationes in contrarium non sunt convincentes; tum quia gradus metaphysici superiores, & inferiores simul manent v.g. substantiæ, Corporis, viventis; Ergò & anima sensitiva generica quasi, manere potest cum rationali, & per hoc & altera patet.

Probatur tertia pars præter Authoritates ex hoc, quòd anima rationalis possit dici principium eminenter sensitivum, ac vegetativum, non quidem in ordine ad operationes distinctivas, sed communes v.g. in bruto anima sensitiva irrationalizata, producit alias operationes, quàm in homine rationalis, licèt utraque sentiat, in bruto quidem formaliter, in homine ut jam dixi perfectiori modo, vel virtualiter, hinc Arist. utitur nomine animalis locò bruti, cùm tamen & homo sit animal, ut ope-

operationes ſenſitivas genericè ſumendas inſinuet. rationes alias inſufficientes vide in Maſtrio.

Colliges pro quartâ parte: admiſſis ſenſibilibus facilè iſtas difficultates tolli, temperamento enim, ac alijs bene ordinatis corpus vegetat, hoc verò pereunte deſinit. Nec te præcipites, velut ob conditionem C. velut ob formam N. Contra eſt: quòd hæc ſint verboſa effugia velut zaphat, de rationali eſt aliud, quam purus philoſophus ob intellectiones & volitiones topicè ominari poterat, ſed nihil certi concludere, donec fides hanc illuminaverat.

Obijcies I. ſi in generatione hominis plures animæ ſuccederent, homo priùs eſſet planta, deinde brutum, demùm homo. Reſpondent aliqui totum concedendo, alij Diſtinguunt Sequelam: ſi per brutum, & plantam intelligas nullum dicens ordinem ad rationalem N. cum ſubordinatione C. meliùs Negatur Sequela.

Inſtabis: corpus cum ſola vegetativa eſt planta, cum ſola ſenſitiva eſt brutum. Nec rurſùm dicas: ſinè ſubordinatione verum eſſe, ſic enim & brutum v. g. equus fieri poterit homo. Reſpondeo Diſtinguendo Aſſumptum: cum ſola ſumpta ſpecificè ſenſitiva tranſeat; ſumpta gene-

ricè N. *dixi* enim quòd homo habeat operationes genericè sensitivas, non irrationalizatas.

Instabis: homo haberet animam sensitivam specificè sumptam; Ergò prius esset brutum. Probatur Antecedens: haberet easdem operationes quas brutum; Ergò & principium idem. Respondeo Negando Antecedens, Probationem Distinguo: easdem communes C. proprias v. g. hinnitum, rugitum N. hac ratione Arist. ponit nomen animalis, non bruti.

Instabis: saltem nullatenùs tolerari potest quòd simul maneant adveniente rationali, tùm quia non esset unum per se; tùm quia recedente rationali recedunt & operationes sensitivæ, & ipsa abunde dici potest virtualiter, vel eminenter sensitiva. Ad hæc & similia dico, ac Respondeo: nihil certi concludi, nam subordinatio inter sensitivam genericam, & rationalem statui potest, & negari quòd rationali recedente essent omnes, quòd si extorquere velis, non esse in cadavere aliud quàm excrementa per juxta positionem, quid vetat dicere recedente rationali illico perire sensitivam, quia tamen rationes pro pluralitate non sunt convincentes, & pro unitate sit potior Authoritas, hoc probabilius & in concursu positivè sequor.

Obij-

Obijcies II. probando quòd necessariò sint plures animæ in homine: siquidem homo habet diversas operationes, imò & diversum esse ac denominationes sensitivi, & rationalis; Ergò & diversa principia. Respondeo: ad hæc sufficere diversitatem Virtualem principiorum, aliàs quoque duæ rationales ad volendum, & nolendum requirerentur, qui est error Manichæorum, sed videtur obstare quod nolitionem comitetur volitio.

Instabis: anima rationalis nequit virtualiter, vel eminenter dici materialis, corruptibilis, sed hæc sunt prædicata sensitivæ, ac vegetativæ intrinseca; Ergò & repugnat sic sensitivam dici. Respondeo Distinguendo Minorem: sunt prædicata sensitivæ genericæ N. specificæ C. deinde eminentialis continentia est sinè imperfectionibus, quales sunt illa prædicata, aliàs & Deus qui eminenter lapis est, & materialis foret.

Instabis: operationes illæ sensitivæ sivè genericæ, sivè specificæ vocentur, non possunt recipi in anima rationali; Ergò requirunt aliud subjectum passivum, consequenter & principium. Respondeo Distinguendo Antecedens: in anima rationali solitariè sumpta, transeat: cum corpore constituente unum per se N. Quando

do verò Authoritates pro pluralitate adducuntur v. g. *Spiritus & anima* &c. expone substantiam animæ, & potentias. itaque cùm substantialia sint dicta, sequitur

# DISPUTATIO II.

## *De Divisibilitate, Vita, ac Potentijs animæ in genere.*

RElicto anatomicis examine circa partes integrales corporis, & conservantes, statuitur passim duras informari, v. g. ossa, carnem, imò juxta quosdam & ungues cornua, de liquidis verò dicam ubi de sanguine, forsitan in 3. Sent. interim sit

### QUÆSTIO I.

### *An omnes Animæ sint divisibiles?*

DIco: omnem animam esse indivisibilem. ita Platonici sentire dicuntur, licèt ex alio capite, quàm ego; de anima rationali est communior, contra quosdam qui putant lumini naturæ sistendo, esse & illam divisibilem, animas verò brutorum perfectorum esse indivisibiles tenent Thomistæ contra Scotistas, animas denique brutorum & plantarum omnium indivisibiles, tuebor contra utrosque.

Probo conclusionem *primò*: animam supponamus esse triplicem, atqui singulæ sunt indivisibiles; Ergò. Probatur Minor:

de

de rationali, quam credimus ſpiritualem eſſe, rationibus verò agendo ſic de ſingulis: animæ non ſunt continuum, ſenſibile, nec unum indiviſibile ſenſibile; Ergò nil aliud, quàm objectivus quidam conceptus. Nec dicas: Sic inferri quòd metaphyſicè forent indiviſibiles. Contra eſt: quòd habeant in quo conveniant & diſconveniant, at phyſicè conſideratæ ac in ratione animaſtica, nihil penetro diviſibilis exiſtentiæ. Nec dicas: hoc potiùs probari quòd don dentur, quàm ſuppoſito quòd dentur, eas eſſe diviſibiles. Contra: fateor quidem quod ſicùt cæcus de coloribus, ita de animabus ratione loquar, ſi tamen ſunt, nec longæ, nec latæ, nec profundæ eſſe queunt; Ergò indiviſibiles. Probatur Antecedens: tum quia omnis quantitas eſt ſenſibilis; tum quia & materia prima indiviſibilis, & inviſibilis eſt. Confirmatur: omne ſenſibile eſt indiviſibile, vel ex ijs compoſitum per modum continui; Ergò à potiori inſenſibile erit indiviſibile: Reſpondent varia, vide Phyſicam.

Obijcies I. animam rationalem eſſe diviſibilem: omne quod eſt in materia eſt diviſibile, quia & ipſa diviſibilis eſt, imò diviſibilitas eſt proprietas ejus, ſed; Ergò. Reſpondeo Negando Majorem: imò nec

quod

quod in corpore eſt, niſi ſit continuum; porro diviſibilitas eſt proprietas continuitatis.

Inſtabis: corpus eſt diviſibile; Ergò & anima recepta in eo, quia *quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur.* Reſpondeo Negando Conſequentiam ad axioma dico ſi recipiens & receptum ſunt ambo ſenſibilia C ſi ſecùs N. ſic etiam dic quod ſenſibile nequeat eſſe in diverſis partibus & pluribus locis.

Obijcies II. animas brutorum, & plantarum eſſe diviſibiles, omne materiale eſt diviſibile, ſed; Ergò. Probatur Major: in hoc differt ſpirituale à materiali. Reſpondeo Negando Majorem, cum probatione: & dico quòd ſpirituale pro ſtatu iſto aliter explicare non poſſimus, quàm per modum ſenſibilis corporis, v. g. Angelum ùt juvenem alatum, materia verò & Anima materiæ non niſi ad modum conceptûs objectivi; ubi nota animam rationalem quà ſpiritualem creditam figurari poſſe, quà verò ens animaſticum ſuppoſitam tantùm concipi.

Obijcies III. rami abſciſſi manent viventes, & vermis diſſectus motus erercet; Ergò animæ plantarum, & animalium imperfectorum dividuntur. Reſponderunt aliqui: in tali diviſione produci novas animas,

mas, ſed eſt quid ſtupidi ſimile Thomiſtis novum cadaver fingentibus; ego Nego Conſequentiam: tum quia & homo diviſus aliquando operationes exercuit; tum quia imperceptibile eſt, quomodo inſenſibile ſenſibiliter dividi queat.

Inſtabis: quòd homines referantur poſt capitis abſciſſionem ſe moviſſe miraculum fuit, at in vermibus, & plantis quid ordinarij eſt. Reſpondeo: etiam homo illicò per medium diviſus fortè ſe moveret naturaliter, & licèt non ſe moveret, hoc tamen non eſt præciſa ratio negandi diviſibilitatem, nec ille motus eſt cauſa diviſibilitatis, aliàs bruta perfecta indiviſibiles animas haberent, licèt imperfecta diviſibiles, cujus oppoſitum Sco. in 4. d. 43. & 44. docet, ego autem nullam diviſibilem admitto ob rationes phyſicas, & ſi caſu in alijs Philoſophiæ partibus dixiſſem eſſe diviſibiles, ſuppoſititiè loquebar, hanc enim pertractare non intendebam.

Inſtabis: anima bruti, & plantæ nequit eſſe tota in toto, & tota in qualibet parte, aliàs eoipſo ſpiritualis eſſet. Reſpondeo: quòd quà ens animaſticum non niſi valdè impropriè debeat dici in loco eſſe, eſt tamen indiviſibiliter in toto, & ſingulis partibus diſpoſitis ad operationes.

Inſtabis: quando pes abſcinditur equo,

&

& ramus arbori, ubi manet anima, & quando accrescit, quomodo prior anima novam corporis partem informabit? Respondeo: sicut in homine, sivè dixeris retractivè, sivè deperditivè, hoc excepto, quòd hominis anima credatur immortalis.

## QUÆSTIO II.

### *Quid sit vita?*

DIco: vita est principium naturale immanenter operativum. ita coll. ex Sco. in 1. d. 39. q. unicá, & ferè sequitur Vulpes, contra Tho. ac RR. plurimos, imò & Scotistas, quorum quilibet distinctam descriptionem excogitat. Sensus allatæ definitionis est, quòd anima quæ est principium productivum actus vitalis, sit vita, & quatenùs vita est, debeat dici principium tale, quod dum in statu naturali, id est: non violento reperitur, in se actum quendam vitalem producere queat, ex quo patet *naturale* opponi violento, operativum interim confundi cum *productivo* & *immanenter* significare, quòd in se recipiatur, si enim producat, & in alio, per accidens est.

Probatur primò ex regulis consuetis: convenit enim omni viventi, & soli, breviter & claritate possibili explicat naturam definiti; deinde hæc ratio univoca est Deo, Angelis, homini, bruto, ac plantis.

Nec

Nec dicas: talem rationem univocam assignari non posse, ùt Poncius, & alij contendunt.

Contra: præterquam quòd allata quoad nomen & rem Deo, ac Angelis competat, si non competeret quantum *ad nos*, verè tamen Deus, homo, Angelus, &c. viventia essent; Ergò univocè illius ratio vitæ conveniret.

Respondent: univocatione quæ stat cum analogia transeat, propriâ N. Contra sunt quæ de entis univocatione in Metaph. dixi; insuper nullum ex viventibus impropriè vivens est; Ergò, &c.

Probatur secundò bonitas definitionis, comparando eam ad alias aliorum v.g. *vita est principium se movendi, immanenter operandi, perfectiones indebitas acquirendi* & similes, prima enim nisi aliud addatur convenit gravi cadenti, altera aquæ ad frigus se reducenti, tertia supponit actus vitales esse perfectiones indebitas viventi ex natura generationis, quod falsum est in sensu copulativo, esto divisim nullus vitalis actus qui debeatur, notari possit. Alij confundunt productivum & operativum actum, cujus oppositum mox declarabo ex Sco. in 1. d. 3. q. 7.

Obijcies: definitio data convenit aquæ

C se

ſe reducenti ad frigus cùm calida fuerit; Ergò, &c. Reſpondetur ab aliquibus: quòd aqua activè ſe non reducat, ſed reducatur ab aëre circumſtante, citiùs enim refrigefiet poſita in loco frigido, quàm calido, ſed quia probabiliùs in ſe & activè frigus producit, licèt aër partialiter concurrat, meliùs Reſpondeo Negando Antecedens: aqua enim calida non eſt in ſtatu naturali.

Inſtabis: viventia in ſtatu naturali producunt ſœpè actus vitales in alio; Ergò non im̃anenter. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens; per accidens C. primariò N. Scotus ſubtilizat quidem productionem, at non operationem in ſubjecto alieno, loquendo de actibus vitalibus perfectis, quales ſunt volitio, intellectio, imperfecti ſunt generatio, nutritio. Pro cujus notitia.

Quæres primò: quid ſit actus vitalis? Reſpondeo: quòd ipſa vitalitas ſit relatio principij ad actum vitalem, qui eſt accidens abſolutum, paſſim in ſchola ſubtili circumſcribi ſolitum per tendentiam in objectum, ſicut de uno ex actibus vitalibus perfectis nempè intellectione, pro omnibus probabo. Quo ſtante

Quæres ſecundò: an actus vitalis ità neceſſariò dependeat ab anima, ùt ſinè ea con-

concurrente nequeat produci? Respondet D. S. negativè: & dicit quòd Deus possit producere aliquem actum vitalem, qui vel in subjecto non vivente recipiatur (vide Tract. 2. in Meta. Disp. 2. q. 3.) vel in se ipso existat, vel in anima recipiatur, quòd si in illa recipiatur, illicò eandem vitaliter operantem denominabit; exemplifico, Deus potest producere actum vitalem visionis, qui est qualitas, hanc potest conservare sinè omni subjecto, vel ponere in lapide, quem tamen non denominabit videntem, quod est operari, vel ponere in oculo, quem contra mox denominabit, quia oculus per illum actum in se productum à Deo statim operatur, id est: tendit in objectum; quòd si volitionem poneret in voluntate, cum hac necessariò tenderet illa, siquidem ad absolutum in causa, sequitur absolutum in effectu, & voluntas libera est producendo, non operando, quam subtilitatem multi non perstringunt.

Quæres tertiò: quomodo potentiæ specificentur ab actibus, & actus ab objectis? Respondet Sco. q. 13. art. 3. quòd non essentialiter, sed tantùm extrinsecè. Declaratur: primò conveniunt facilè, quòd nec potentiæ sint de essentia constitutiva actuum, nec actus objectorum, vel ècontra; deinde etiam admittitur quòd

respectum quendam transcendentalem ad se invicem portent, quâ ratione alij dicunt potentias & actus esse *relativa secundùm dici*, at propriè sunt entia absoluta, quorum formalem explicationem nullus respectus ingreditur, quòd si Arist. dicat: potentias distingui per actus, & actus per objecta formalia, intellige extrinsecè, vel à posteriori, producto enim actu, colligitur cum proportione potentia, & si dicat actus esse priores, intellige in intentione; vel ipsâ productione priores in intelligendo, juxta illud: *ad absol. &c.* tandem detur quòd respectus transcendentalis intercedat realiter identificatus. vide de Relatione.

## QUÆSTIO III.

### *Quomodo Potentiæ distinguantur ab anima?*

DIco: Potentias distingui formaliter actualiter ab anima. Ita Sco. in 2. d. 16. cum suis, quos sequitur Lalemandet, contra Thomistas realiter distinguentes, & contra Nominales vix ratione distinguendas putantes. Pro intelligentia conclusionis.

Præmittendum est, quòd potentiæ in anima aliæ sint organicæ, quæ passim dependent ab organo corporeo, v.g. visiva ab oculo, aliæ inorganicæ v.g. intellectus,

lectus, voluntas: quæstio non est de organicis sumptis completè, id est: cum organo, sic enim admittitur ipsas inter & animam realis distinctio, sed procedit de inorganicis, vel organicis præcisè sumptis; deinde revidenda sunt de Distinct. in Metaph.

Probatur primò non distingui realiter ex Aug. 10. Conf. c. 14. Bern. Serm. 11. in cantica, docent animam, & potentias esse unum inter se; Ergò &c.

Respondent: identitate conjunctionis C. propriâ N. Contra: si sunt conjuncta cum omni inseparabilitate, signum est identitatis realis, si verò cum aliqua separabilitate, unum dici vetat. Confirmatur ex Arist. 2. de Ani. ubi potentias confundit cum substantia.

Probatur secundò: anima non intelligit, nec vult per accidens, aliàs & sic mereretur; Ergò per potentias sibi identificatas. Nec dicas: *per accidens* esse æquivocum, si significet *casu*, N. Sequela, si idem quod per potentiam quæ est accidens, C. Contra: vel volunt esse accidentia physica, vel passiones metaphysicas pullulantes, hoc secundum affirmo, si primum, eâdem ratione anima immediatè actus vitales producere potest, quam illas potentias.

Respondent Negando Suppositum: quòd anima illas producat, sed esse instrumenta, & passiones animæ. Contra: hoc est dicere, quòd sint proprietates metaphysicæ, quas velut formalitates distingui oportet. Item illa instrumenta plus conferrent actui, quàm causa principalis; rursum ex definitione constat, quòd anima sit id quo movemur, vivimus, & sentimus.

Respondent: animam esse principium radicale, formale verò potentias velut accidentia physica realiter distincta. Contra: vel hoc ex perfectione, vel imperfectione censent animæ tribuendum, non primùm, quia Deus eâ careret: nec alterum, cum hujus nulla sit exigentia, & neque separari queant, neque ipsa anima intellectualis dici posset, nisi radicaliter quod non sufficit, quia denominatio provenit ex realitate formæ ait Lalem: sed illi dicent, hoc valere de denominatione formali. Contra: tamen adhuc intellectus, & voluntas sunt susceptiva contrariorum virtutis, & adij, opinionum contrariarum; Ergò sunt formæ substantiales si non in recto saltem obliquo; insuper ipsa anima esto dicatur radicaliter intellectiva, ipse tamen intellectus ex hac radice non nisi emanabit metaphysicè cum

alijs

alijs potentijs; Ergò nequit esse accidens physicum. Antecedens Probatur: aliàs esset sicùt actus vitalis productus, licèt permanens.

Probatur tertiò: quia potentiæ animæ vegetativæ producunt substantiam, quod non est accidentis. Quartò probat Suarez ex impedimento oriri solito ex nimia attentione unius potentiæ præ alia, & alijs motivis, quibus RR. solam rationis distinctionem advehunt. Contra quos

. Probatur viâ definitionis, contradictionis &c. non sufficere distinctionem rationis quamcunque; accedunt Authoritates, quas Thom. pro reali afferunt, hic sanè mediô tutissimus ibis. Porrò quando Scotus arguit: intellectum esse principium naturale, voluntatem liberum; has autem esse differentias dividentes principium activum.

Retorquent: voluntatem divinam ad intra naturaliter agere, ad extra liberè; item voluntatem velle, & nolle. Contra: confundunt naturale cum necessario, quod reprehendam de Deo Trino, velle verò & nolle, sunt contraria, quin nolitio virtualis est quædam volitio.

Obijcies I. præterquam quòd multæ sint Authoritates pro distinctione reali, hoc constat ex eo, quòd & aliæ substantiæ

agant medijs accidentibus realiter distinctis, v.g. ignis mediante calore, aqua frigore &c. Respondeo: Authoritates solvi, quòd formaliter actualiter, cæteras rejicio, alias verò substantias per accidentia operari dispositivè C. efficienter N. ignis substantia producit ignem, non calor.

Instabis: transeat quòd per accidentia non efficiant substantiam, benè tamen alia accidentia; sed actus vitales sunt accidentia v.g. volitio, intellectio; Ergò anima illos producit medijs potentijs quæ sunt accidentia. Respondeo Distinguendo Majorem: benè tamen alia accidentia universaliter N. quandoque C. Si dicas: principium peti, ab inductione enim usque ad potentias ritè concluditur. Respondeo: id minimè fieri, verum est quando producit accidentales effectus in subjecto externo, non quando in seipso immanenter.

Instabis: intellectus Angeli unius potest producere intellectionem in altero; Ergò id fiet mediâ potentiâ realiter distinctâ; Ergò idem de anima erit. Respondeo. quòd nec Angelicæ potentiæ distinguantur, quòd verò in alio efficiant est per accidens, nec producere in subjecto externo est ratio adæquata, ut supponit

ar-

argumentum, sed quando insuper adest quædam separationis species &c.

Obijcies II. vel anima, & potentiæ spectant ad idem, vel diversa prædicamenta, si secundum, realiter distincta esse patet, si primum, etiam actus pertinebunt ad prædicamentum substantiæ, *quia actus & potentia spectant ad idem.* Respondeo: quòd anima magis directè (licèt non absolutè) pertineat ad substantiam, quam ejus potentia, non verò actus, axioma explico, si per actum intelligas effectum N. si per actum putetur existentia, per potentiam possibilitas C.

Instabis: potentiæ pertinent ad prædicamentum qualitatis; Ergò &c. Respondeo Distinguendo Antecedens: sumptæ pro principio N. pro facilitate C. Si dicas: ad prædicamentum qualitatis duo pertinent, facilitas, id est: habitus, & potentia. Respondeo: intelligi de potentia separabili, & existente, ac producta modo physico, non verò de Metaphysicè emanantibus.

Instabis: potentiæ animæ secundùm Scotum intenduntur: Ergò sunt de serie qualitatum. Respondeo Distinguendo Antecedens: per gradus N. impropriè auferendo impedimenta C.

Obijcies III. ubi sunt actus diversi, ibi

potentiæ, ſed; Ergò. Probatur Major: tum quia ſunt ſibi ſimiles; tum quia non ſolùm actus ab anima tolluntur, ſed & à ſeparata tollitur potentia viſiva, auditiva. Reſpondeo Diſtinguendo Majorem: ibi & potentiæ, vel diverſitate reali, vel formali tranſeat, præciſè reali N. *dixi* tranſeat, quia voluntas poteſt velle, & nolle, valet tantùm quando in actibus ſunt primæ differentiæ dividentes principium; præterea ſunt ſimiles in eſſendo N. repræſentando C. & potentiæ organicæ tolluntur completè eas ſumendo ad ſummum, non ùt ſunt perfectiones animæ.

Objicies IV. anima dicitur imago SS. Trinitatis; Ergò habet in ſe realiter diſtincta. Reſpondeo Negando conſequentiam: veſtigia enim quæ repræſentant partes ſunt actus, qui omnibus non conveniunt, ſicut & Perſonæ differunt, à memoria fœcunda eſt actus intellectûs, ab utroque ſpirante actus voluntatis. Pro alijs ſolvendis

Sciendum eſt, quòd ſæpè confundatúr potentia cum facilitate, v. g. quando intendi, magis & minus ſuſcipere dicitur: & quòd potentia reſpectu animæ non habeat ſe ùt poſſe reſpectu exiſtentiæ; item quòd ut intellectus, & voluntas habeant diverſa prædicata ſecundi ordinis &c. ſufficiat

ficiat formalis diſtinctio; Cætera claudicant à paritate, vel ſeparationis, vel entitatis. Nominales verò ex communibus ſolvantur, & finaliter quòd circa miraculum organicæ ſeparatæ nec agere, nec pati queant, ut de damnatis dicetur; intellectus verò licèt ſit inorganicus, tamen in pede non intelligit, quia dependere dicitur pro ſtatu iſto à phantaſmatibus, quæ ibi non ſunt, aut quia organum impedit.

## DISPUTATIO III.

*De Senſibus.*

NEmo ſenſatior quàm qui benè ſenſum de ſenſibus format, hac ratione communiter de ijs dici ſolita recenſebo, & quæ ſentiam internè, de interno manifeſtabo. Sit

### QUÆSTIO I.

*Quot, & quid ſint Senſus externi?*

DIco: quinque dantur potentiæ in anima, quæ cum organo extra cranium, vel cerebrum exercent ſuas operationes, ac vocantur ſenſus externi, qui ſunt Viſus, Guſtus, Auditus, Odoratus, & Tactus. Ita tenetur communiter ob experientiam, qui verò ſex, vel plures afferunt, nimietate ſenſuum delirant, quâ ratione ſpeciales quoſdam tactus aſtruentes corripiuntur.

De-

Declaratur *primò: Visus* utpote nobilior, ex parte objecti, quod est latius, imò & quandoque maximum, & ex contrarijs conflatum, ac alijs capitibus experimentalibus: est autem potentia operans dependenter à sensorio constante sequentibus, *figurâ sphæricâ in suprema corporis parte*, ad cujus structuram concurrunt tres humores, *crystallinus*, vel *clarus*, quem includit *parva tunica*, quæ ob nitorem dicitur *specularis*; quem globulum cingit humor aliquis *magis crassus*, qui *vitreus* dicitur, & in hoc *pupilla* natat sicut lignum in aqua, hunc cingit *tunica reticularis*, quæ habet multas *venulas* pro nutritione servientes, quam cingit *tunica* quasi *pellicula uvæ cum foramine*, ne pupillam tegat; deinde sequitur *humor albugineus* ovo similis, æquè hoc foramen circum fluens, sed non tegens, quem claudit *tunicella transparens*, dicta *cornea*; demum est *tunicellula* totum oculum circum ambiens: his adduntur sex *musculi* quasi ligamina, quibus cætera moventur, & duo *nervi*, quibus combinantur, dicti *optici*, vel *visorij*. Uno ex his læsis, læditur potentia visiva, at maximè læso humore crystallino, unde hic rationem visorij habet. Si petas: cur mures, leones, & alia de nocte videant? temperamento adscribitur, ex quo copia spi-

ſpirituum luminoſorum oritur, defectu quorum nonnulli oculos diu defixos habere non poſſunt, ſi verò tales ſpiritus ſunt nimij & calidi, inquietant organum, uti in ebrijs. Si quæras: cur in *profundo* ſpeculi ſimilitudines videantur, & cur ordine inverſo in aquis? dico: quia ſpeculi natura eſt, quòd reflexè monſtret, & objecta & diſtantiam, idem eſt de aquis vide Suetonium, & alios.

Examinatur ſecundò: *Auditus* quem quidam cæteris præferunt, quia per illum erudimur, & primas qualitates ſentimus: eſt ergò potentia dependens ab organis verſùs extremitates temporum (in quibusdam animalibus imperfectioribus non exiſtens, in alijs non apparens) organa ſunt ſtructura cartilaginea, quaſi ſemiluna, in qua ſunt varij anfractus, per quos ſonus recipitur, verſus finem obliqua via eſt, anguſta nimis, nè aquam recipiat, & viſcosâ materiâ protegitur, ut ſi quid ingredi velit, hac implicetur; dicitur foramen cœcum, quia per eam non eſt aditus ad internas cerebri partes, verſus unum latus ſubtili *membranâ* eſt cooperta, quæ vocatur tympanum, quod ſuſtentatur tribus oſſiculis, ut nutriri queat; deinde ſequitur *labyrinthus*, id eſt: os quoddam variè perforatum, quem terminat

alia

alia *cavitas* dicta *cochlea*, quæ æqué magna sunt in infantibus, ac senibus; porrò sensorium proprium in *cochlea*, vel *aëre* sive elementari, sive alio, penes eam residere observato versus tympanum consistit. Consule artis anathomicæ peritos.

*Tertiò*: *Tactus* differt ab alijs per dependentiam ad organa sequentia, nervos, carnem, quæ rationem sensorij habent, cutem, ossa &c. *Gustus* verò est operativus dependenter ab his, quæ à labijs usque ad imas fauces interjacent, cujus partes sunt gurlio, dentes, palatum, lingua, circa quæ sciendum occurrit, dentes communiter esse triginta duos, velùt ossa dura, intus cava, venulis & nervis prædita ac gingivis affixa; 20. dicuntur molares, qui cibos decoquunt, incisores 8. canini 4. *lingua* verò est pars rara, & carnea circumdata tenui tunicâ, quæ toti ori communis est, utpote habens duos nervos ab occipite & spinali medulla exortos, *hæc* præ cæteris organum sensorium est. Postremò *Olfactus* dependens à *naso*, qui secernitur in partes externas, & internas, externè est pars ossea & cartilaginea, infra quasi formex coöperiens, habens duo foramina cartilagine distincta, quæ sunt viæ, quarum una transit ad cerebrum, altera ad finem gutturis, per hanc aër transit ad cor usque, per

prio-

priorem expurgatur cerebrum, & recipiuntur odores, ſenſorium tamen conſiſtit vel in cribro, vel in tuberculis, quæ ſunt in ſummitate naſi, formam & nomen duarum mammillularum habentibus, &c.

## QUÆSTIO II.

*An Senſus externi poſſint errare circa ſua objecta?*

DIco: Senſus externos non poſſe errare circa ſua objecta. Hæc deberet eſſe communis, licèt oppoſitum communiter verbotenùs tradi ſoleat.

Probatur evidenter: objectum vel eſt commune, quod à pluribus ſenſibus percipitur, vel proprium: ſed circa nullum errare queunt; Ergò, &c. Probatur Minor: Si errarent, hoc fieret quando v.g. putaretur baculus videri curvus in aqua, cùm ſit verè rectus &c. Sed tali caſu viſus non errat; Ergò, &c. Probatur Minor: illa potentia errat quæ putat aliter eſſe, quam in ſe eſt, at nullius ſenſus externi eſt putare; Ergò.

Reſpondent: ſenſus externos non errare formaliter putando, ſed præbendo occaſionem errandi. Contra: illi aliam non præbent, niſi in quantum pro ſtatu hoc nihil in intellectu, niſi prius in ſenſu, cæterùm viſus in ſuum objectum, alij in ſuum

cæ-

cæcè feruntur, cognoscitiva autem potentia non bènè instructa errat judicando sensus videre, ac sentire quæ non sentiunt.

Quæres primò: quid sit objectum visûs? Respondeo: experientiam docere quòd sint colores, lux, & lumen, non quasi qualitas his communis foret objectum, sed quia omnia quæ videntur sunt luminosa sivè à se, sivè ab alio; est autem color qualitas mixta ex primis, motiva perspicui in actu, id est: diaphani illuminati; hinc color sæpè cum lumine confunditur, prout est motivus cum lumine ad visionem; lumen verò sumptum pro luce, est qualitas sensibilis.

Quæres secundò: quid sit objectum auditûs? Respondetur: esse sonum, quem efficiunt tria, duo corpora percutientia & medium quod atteritur, frangitur, vel intercipitur, v. g. sonus campanæ fit à malleo percutiente, ære percusso, & aëre intercepto, quæ causæ debent esse duræ, cavæ, læviæ & tersæ, ex quo infert Arist. 2. de Ani. quòd *vox sit percussio aëris respirati ab anima*, siquidem sola animalia propriè voces edunt, licèt bruta inarticulatas; colligitur quoque quomodo fiat sæpè tinnitus internus in auribus, nempè si humores tympanum tangunt, & aërem circumstantem quassant; item quomodo fiat echo,

sci-

ſcilicet per reflexionem, quæ fit, dum ſimile corpus valde concavum, & lævigatum percuſſum edit ſonum, qui latiùs pertingeret, niſi propter reſiſtentiam alterius regrederetur, ùt circa montes, & loca concava experimur.

Quæres tertiò: quæ ſint objecta aliorum ſenſuum? Reſpondetur: objectum olfactûs eſſe odorem, guſtûs ſaporem, tactûs contrarietatem. Per contrarietatem uſu veniunt qualitates quatuor primæ, calor, frigus, ſiccitas, humiditas, item gravitas, levitas, durities, mollities, lubricitas, ariditas, aſperitas, lenitas, craſſities, tenuitas. Per ſaporem, qualitas ſecunda facta ex ſicco & humido potiſſimùm, quæ licèt abſolutè non ſit prima, inter ſapores tamen dulce & amarum ſunt extremi, ſicut inter colores album & nigrum, cæteri medij, v. g. pinguis, ſalſus, acer in pipire, acerbus in fructibus immaturis &c. per odorem æquè qualitas ſecunda diverſimodè attemperata.

Quæres quartò: an excellens ſenſibile lædat ſenſum? Reſpondetur: ſuppoſitô quòd dentur ſpecies ſenſibiles, de quo infra dicam, quòd ſic, nimiâ enim luce labefactantur oculi, nimio ſono aures; & ſi petas: an fiat per accidens? dico: quòd non

non fiat fortuitò, sed per species intentionales, quæ accidens sunt.

Quæres quintò: an sensibile positum supra sensum impediat sensationem? Respondeo: quòd solus visus medio indigeat, hic enim debet esse illuminatus ut objectum percipiat, sed visibile immediatè applicatum oculo obscurat illum, nisi velis aërem immediatè conjungi oculo sinè vacuo intermedio, ùt Thomistæ videntur velle. Si quæras: an sensus sint reflexivi, & perceptivi absentium? Respondeo negativè: tum ob rationem suprad: tum ab experientia, licèt in hoc, vel illo animali accidentaliter sint perfectiores.

## QUÆSTIO III.

*An verè detur Sensus internus?*

Dico: in homine non dari sensum internum distinctum actualiter ab intellectu. Hæc est contra omnes modernos Philosophos, qui supponentes dari sensum internum distinctum ab intellectu, eum communem vocant, & circa eum in varios abiêre sententias, ita ut alij unum, alij duos, scilicet & distinctam phantasiam admittant, alij tres scilicet & æstimativam, alij planè doceant esse quatuor sensus internos, ultra prædictos memorativam, vel similem potentiam astruentes, fateor quidem

dem difficilem me viam ingredi, at quia Veteres idem docuerunt, & peritiſſimi Philoſophi candidè fatentur veràm hominis differentiam à brutis nos latere, inquirendæ & exercendæ veritatis causâ concluſionem tuebor, volens quòd intellectus ſecundùm diverſa officia dicatur phantaſia, ſenſus co̅munis, æſtimativa,&c.

Probatur primò: nulla eſt neceſſitas, quia de nocte in ſomno, & ſomnio intellectus operatur ipſe; Ergò fruſtrà ex hoc capite, velut uno de principalioribus, excogitatur diſtinctus. Probo Antecedens: ego enim in ſomnio ſœpè carmina, & ſyllogiſmos feci. Nec dicas: me propriè non dormijſſe, in profundiſſimo namque ſomno factum; & ſi dixeris: propria carmina, ac ſyllogiſmos non fuiſſe, te propriè hominem eſſe negabo. Confirmatur: moderni Philoſophi docent omnes, quòd apprehendere, judicare, & diſcurrere ſunt actus intellectûs, ſed hos actus de nocte ſomniantes exercent; Ergò per eandem potentiam per quam de die.

Reſpondent pertinaciſſimè: hos actus ſomniantes exercere per phantaſiam, vel ſenſum communem. Contra: quis me arguet ſi dixero, tales de die quoque phantaſiare ſi carmen, vel ſyllogiſmum faciant.

Probatur ſecundò evertendo ſunda-

mentum oppositæ; ideo in homine ponitur sensus internus, quia homo habet tales quasdam actiones cognitivas, quales bruta, sed in brutis proveniunt utique à sensu distincto ab intellectu, illa enim utpote irrationalia carent intellectu, atqui hæc ratio nulla est; Ergò, &c. Probatur Minor: primò Veteres concedebant brutis intellectum, quia v.g. canis apprehendit calorem & fugit, judicat carnem prævalere sicco osse, ac infert illam præponendam ossibus.

Respondent unâ voce: hoc esse quid stupidi planè, & dicunt canem, &c. hæc facere ex *instinctu* naturæ, non per intellectum. Contra: ego quidem adhuc non dico, sed Veteres dixisse assero, nec fortè malè, nam sic arguo: ille instinctus est ipse intellectus, quia sicut se habet simpliciter, ad simpliciter, ita secundùm quid, ad tale, sed in hominibus simpliciter dicitur habere intellectum, qui operatur prudenter, & perfectiorem qui prudentiùs; Ergò & bruta prudentissimè sœpè agentia censenda forent intellectiva, licèt minùs homine, quod sufficit ut irrationalia dicantur, non absolutè, sed comparativè, imò subinde excedunt.

Confirmari posset primò: quia adhuc differunt in mortalitate, homo enim moritur

ritur ut remaneat anima, non brutum. Nec dicas: hoc fide constare, tantò meliùs, quia differentiæ pro statu hoc rationi latent: Secundò Thomistæ Angelos specie distinguunt propter diversas species; Ergò & hominem à bruto propter diversitatem intelligendi.

Respondent iterum idem per idem, prudentiam, artes, & quascunque cognitiones in brutis oriri ab instinctu naturæ, sicut flamma sursum petit, hinc eas vocant artes per umbram ac figuratè, non propriè. Contra: longa est disparitas, videmus enim bruta fugere percutientem, recordari beneficiorum, imò multis hominibus consultiùs agere, quâ ratione Prov. 6. *vade ad formicam o piger*, & licèt Authoritates tales sint ad similitudinem, nullum est fundamentum ratione loquendo, cur dicam ab intellectu provenire si homo edat, quia famem habet, & non provenire ab intellectu si canis edat, quia famem habet. Nec dicas: tales homines comparari jumentis, quia sensum sequuntur; homo propriè edit ut conservet vitam, ac Deo serviat, quod non cadit in brutum. Contra: hoc infert intellectum illuminatiorem, sicut & quidam Angelicum ab humano specie distinguunt, at nemo negare audet hunc esse actum in-

 tel-

tellectûs: quia eſurio, judico edendum, ſed hunc quoque canis habet. Nec dicas: canem habere illum ex inſtinctu naturæ, & merè directè, præterquam enim nos non ſciamus, an non ſe reflectant bruta ſuper actus elicitos, ac ſibi complaceant, etiam actus directi ab intellectu proveniunt.

Inſuper ſi nequaquam hoc Veterum documentum arrideat, quid vetat dicere in homine eſſe intellectum qui percipit objecta ſenſuum omnium, & in brutis eſſe potentiam quandam internam quæ videtur intellectus eſſe primâ fronte, at non eſt prout illuminati fide præſertim concludimus; nam & divinus intellectus excedit plus *humanum* in perfectione, quàm *ille* potentiam cognoſcitivam in brutis, igitur nullam neceſſitatem video in homine diſtinguendi realiter, vel formaliter, eſto concedatur brutis, *& hac viâ incedendo* dici debet, quòd quædam bruta ex indole, vel induſtriâ ſivè innatâ, ſivè acquiſitâ perſpicaciùs operentur cum ſua potentia interna, quàm pigri homines jumentis deteriores: porrò quando cognoſcit præterita dicitur memoria, quando unum cum alio confert & præfert æſtimativa; ſi aliquando percepta ſunt præſentia, aut poſſibilia, phantaſia; ſi impoſ-

ſibilia

ſibilia phyſicè, vel moraliter imaginativa; quod tamen in Metaph. docui phantaſiam facere ens rationis, ſuppoſui illam ab intellectu diſtingui, & hoc ſuppoſitô eam accepi pro nomine non pro officio, ſiquidem poſitô quòd detur, unica eſſet, penes munera dividenda.

Obijcies I. homo eſt animal rationale ſenſitivas operationes habens, & intellectivas, brutum verò irrationale ſolas ſenſitivas habens; Ergò homo debet habere potentias diſtinctas, quarum una eſt ſimilis brutali, altera non. Reſpondeo ex dictis: Veteres negâſſe brutum eſſe irrationale, & hoc dato debere eſſe diſtinctas à parte rei N. penes diverſa officia tranſeat.

Inſtabis: in homine potentiæ organicæ etiam præcisè ſumptæ ad minùs formaliter diſtinguuntur ab intellectu; Ergò & phantaſia. Reſpondeo Negando Conſequentiam: poſterior enim cognoſcitiva foret, ad quid ergò alia quàm antonomaſticè talis, id eſt intellectus.

Inſtabis: non modo Philoſophi, ſed Patres, imò Scriptura ipſa docet bruta eſſe irrationalia; Ergò illa non habent intellectum, ſed ſenſum internum; Ergò & in homine præter intellectum debet admitti. Reſpondeo: præterquam quòd

 poſ-

possint explicari Patres, loquentes ex communi supposito, & Scriptura comparativè ad homines, id est: bruta esse irrationabilia, quia non sunt ordinata ad meritum, ac demeritum, transeat habere sensum internum. Nego Consequentiam: in homine esse, hac viâ teneo operationes brutales cognitivas, humanis esse similes ea parte objecti, & modi tendendi per phantasmata C. ex parte potentiæ N. ad summum in adæquatè, intellectus animæ separatæ, & Angelicus idem objectum, & fortè modum tendendi habent, & quid si specie distinguerentur in Schola Thomistica, vel alia? in brutis ergo, internum sensum, vel intellectum dicito, quid refert, si tamen cum rudioribus sermo est, sensum dic pro quiete; cæterùm famosus in via scoti Mastrius ipse fatetur, latere, an rationalitas sit hominis differentia, vide illum hic Disp. 6. q. 6. art. 2. n. 182. & sequentibus.

Objicies II. ubi sunt diversa organa, ibi diversæ potentiæ, sed secundùm anathomicos sensus communis habet suum organum supra frontem, phantasia suam cellulam subtus frontem, in medio cerebri est sinus æstimativæ, in posteriori parte ubi conservantur species insensatæ est memoria; Ergò completè sumptæ distinguun-

guuntur realiter, præcisè ſumptæ formaliter velut potentiæ externæ. Reſpondeo Negando Minorem: quicunque enim habet unam ex potentijs iſtis nominetenùs diſtinctis, habet omnes in actu primo, quòd autem læſó hoc, vel illó inadæquató organó v. g. in ſenibus pereant memoria, eſt ex parte modi, nam pro ſtatu hoc intellectus alligatur ſenſibus per virtuale organum ſingulorum ſenſuum; proinde tamen eſt potentia inorganica, quia caſu eſt, quòd ſic dependeat.

Inſtabis: habitus bonæ memoriæ, prudentiæ &c. ſœpè ſeparantur; Ergò ſignum eſt quòd in diverſis potentijs locentur, imò aliqui nunquam habent æſtimativam bonam, & tamen memorativam perfectiſſimam v. g. ſtulti. Reſpondeo ad primum Negando Conſequentiam: nam & ars, & ſcientia ſunt in eodem intellectu, ad alterum de actu ſecundo permitto, non de actu primo, ex his plura.

# DISPUTATIO IV.

## *De Intellectu.*

Statuo, quòd in homine ipſe intellectus ſit ſenſus *communis* non prædicatione, ſed per tendentiam in objecta ſingulorum per virtuale organum ſingulorum, & poſitô

fitô quòd unica potentia cognoſcitivá terminativè multiplex, de ea ſit

## QUÆSTIO I.

### *Quid ſit Intellectus?*

DIco: Intellectus eſt potentia inorganica non tantùm paſſiva, ſed etiam activa partialiter quidem, ſed principaliter cauſans intellectionem. ità cum Sco. quodl. 9. & alibi communiter

Probatur primò quòd ſit potentia inorganica: potentia organica debilitatur ab objecto excellenti, ſed intellectus ſic non debilitatur, imò â nobiliori objecto ultrò perficitur; Ergò &c. Major patet in ſenſibus qui læduntur à nimio ſenſibili v. g. viſus à nimia luce, auditus ſono &c. Minor quoque: tum quia ſenes jam membris languidi ſœpè ſunt prudentiſſimi; tum experimentô ſublimia ſpeculantium. Nec dicas: illæſô cerebrô C. hoc læſô N. Contra: quòd hoc læſô, v. g. in phræneticis, extrinſecè impediatur, & quòd in pede v. g. non exerceat operationes, oriri dicitur ex eo, quòd ſit alligatus ſenſibus, & *phantaſmatibus*, non quidem oriri ſolitis à potentia diſtincta, ſed modô infrà & de ſpeciebus exponendô.

Probatur ſecundò, quòd ſit non modò paſſiva, verùm & activa cum Sco. quodl.

15. quia

15. quia aliæ potentiæ vitales hac perfectione gaudent; Ergò & his nobilior intellectus, & ſicubi oppoſitum legitur in Sco. vel Ariſt. volunt, quòd etiam qualitates productas recipiat: item quia dantur habitus comproductivi in intellectu; quia à ſolo objecto non vitali nequit oriri totaliter actus, & generatim quia ex vitalibus potentijs eſt ferè nobiliſſima; Ergò ordinariè intellectus producit in ſe, extraordinariè in alio intellectionis qualitatem.

Probatur tertiò, quòd partialiter tantùm concurrat, licèt principaliter ex Sco. ci. & hic q. 12. ex Aug. 9. de Trin. cap. ult. & alibi dicente, objectum cum potentia parit notitiam; Ergò non ſolus intellectus.

Reſpondent: objectum concurrere terminativè C. efficienter N. alij conditionem vocant. Contra: ſi eſt æqualis conatus ex parte potentiæ in duplici actu, & unus habeat objectum perfectius, ille erit perfectior; Ergò actus ſpecificantur ab objecto intellectionis efficienter concurrente; deinde ſi intellectus foret cauſa totalis, actus non eſſet ſimilis objecto, cùm non eſſet ab illo productus.

Item intellectio *Dei* ùt eſt objectum, non eſſet nobilior intellectioni bruti, & in intellectu virtus quædam infinita foret, quia alia, & alia virtus in illo foret ad nobiliores

liores actus, vide Lichetum.

Probatur tandem quòd sit principalis: quando duæ causæ concurrunt, illa est principalior quæ est illimitatior, hoc est: ad plures similes effectus aptior, sed; Ergò. Minor declaratur: quia objectum non nisi ad sui notitiam concurrit, at intellectus ad multorum objectorum. Nec dicas: etiam objectum cum alio, & alio intellectu in infinitum perfectiori posse concurrere, uti intellectus A v.g. cum objectis, adeoque objectum erit principalior causa. Contra: licèt tunc concedi queat, quando objectum excessivè est nobilius potentiâ uti Sco. in 1. d. 3. q. 8. de beatifico videtur docere, non tamen in ordinariis, quia actus vitalis principaliùs à vitali causa producenda est, faciunt ergò unam totalem unitate ordinis, ac subordinationis, non quasi essent ejusdem rationis ùt duo equi in curru, nec quasi una absolutè dependeret ab altera, ùt creatara à Deo, sed dependentiâ exercitij, in quantum objectum non pareret nisi intellectus se applicaret, sicut nec mater nisi pater, ex hypothesi quod ambo activè concurrant.

Objicies I. non esse activum: intellectus determinatur ab *objecto*, cui *similis* est actus; Ergò cùm sit receptivus, nequit esse productivus. Respondeo: quòd determine-

minetur ſicut ſol ad effectus, non paſſivè velut materia purum ſubjectum; deinde receptivus eſt æquivoci effectûs, quem in ſeipſo producere poteſt, licèt non univocum.

Inſtabis: intellectus eſt in pura potentia ad intellectionem; Ergò ſit effectus uni-vel æquivocus, determinabitur merè paſſivè ab actu, qui eſt ſimilis objecto. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: in pura potentia ſubjectiva N. ſubjectiva & effectiva ante intellectionem C. & dico eſſe quidem formalem ſimilitudinem objecti, ſed vel maximè correſpondere potentiæ vitali.

Inſtabis: ſaltem non aget principaliter; tum quia actus magis aſſimilatur objecto, & magis ab illo determinatur; tum quia objectum eſt cauſa movens, & intellectus ab eo movetur.

Reſpondeo Negando Aſſumptum, & dico aſſimalari magis in repræſentando C. in eſſendo N. & datô quòd aſſimilaretur, in æquivocis cauſa principalis & ſuperior, non niſi virtualiter ſibi effectum aſſimilat, ſicut ſol reſpectu prolis genitæ à patre; *ſed puto etſi ſol ſit cauſa ſuper ſuperior non tamen principalis*: cæterùm non determinatur meré paſſivè, ſed tantùm per accidens, & extrinſecè antecedenter ad ob-

jectum

jectum, vel speciem, habens vim producendi, & tunc movens est nobilior, si dat virtutem motæ.

Obijcies II. esse causam totalem: intellectio est actus vitalis; Ergò totaliter est ab intellectu. Probatur Consequentia: *nemo dat quod non habet*; Ergò non vitale nequit producere vitale. Respondeo Distinguendo axioma: ùt causa principalis C. minùs principalis N. hic Mastrius sibi n. 23. contradicit, dum solem non vivum benè vocat causam minùs principalem respectu viventis, & n. 26. principalem æquivocam vocat.

Instabis: objectum nequit dici intelligens; Ergò nec potest esse causa partialis. Respondeo Distinguendo Antecedens: productivè N. operativè vel subjectivè C. mox patebit.

Instabis: neque potest attingere rationes effectûs producti; Ergò nec producit intellectionem. Probatur Antecedens: rationes illæ sunt ratio accidentis, & vitalitatis, sed has nequit attingere, aliàs foret causa totalis; Ergò &c. Respondeo Distinguendo Sequelam: esset causa totalis totalitate causæ N. totalitate effectûs C.

Instabis: sæpè non est vitale; Ergò utpotè vitalitatem non attingens, non erit cau-

causa totalis totalitate effectûs. Respondeo Negando Suppositum: quòd vitalitatem non attingat, quia dixi, quòd minùs principaliter.

Instabis: tota intellectio est vitalis; Ergò nequidem partialiter potest produci à non vitali causa. Probatur Consequentia: aliàs etiam tota posset dici *non vitalis*. Probatur Sequela: ideo est tota vitalis, quia tota à principio vitali, atqui etiam foret tota à principio non vitali; Ergò &c. Respondeo Distinguendo. Probationem Sequelæ: ideo tota vitalis quia tota à principio *vitali affirmativo* C. *negativo* N. & dico: *non vitale* esse negativum, negatio autem est malignantis naturæ negans omnia post se: exemplifico, ut quis dicatur esse simpliciter in schola, sufficit quòd sit uno angulo, non opus esse in singulis, ut dicatur non esse in schola, non sufficit non esse in uno angulo, sed prorsus in nullo esse debet, sic ut actus dicatur simpliciter vitalis, satis est quòd sit à principio uno vitali, ut dicatur non vitalis; à nullo esse deberet.

Instabis: *vitale* æquè potest explicari ut prædicatum negativum, ac *non vitale*. Respondeo Negando Assumptum: tum quia negatio negationis reijcitur; tum quia differentia ignobilior dividens tertium,

um, rationem negationis induit, ſaltem in modo explicandi. Si dicas: objectum non judicare, vel diſcurrere, nec immanenter operari, conſtabit ſtatim quòd producere intellectionem non ſit intelligere, vel judicare formaliter &c.

## QUÆSTIO II.

### *Quid ſit Intellectio?*

DIco: quòd intellectio ſit qualitas indiſtincta à verbo mentis, ſivè, quod idem eſt, verbum, vel intellectionem non produci per actum intelligendi, ſed dicendi. ità Subtilis Doctor adverſus Scholam Thomiſticam, & nonnullos extraneos, Scotum ſequuntur ſui & RR. plurimi.

Porrò quando intellectus intelligit, vel intellectionem producit, dicunt Thomiſtæ ipſam intellectionem formalem eſſe actionem, vel intelligere eſſe agere, & terminum hujus actionis eſſe verbum mentis, quod vocant expreſſam ſpeciem, id eſt: ſimilitudinem objecti; Sco. verò in 1. d. 17. & 27. q. 1. docet ad intellectionem concurrere potentiam & objectum, quæ *producunt* qualitatem aliquam; qui actus productivus non eſt intellectio formalis, ſed efficiens intellectionem, quæ eſt illa qualitas producta; deinde hæc qualitas pro-

producta & in intellectu recepta eundem in genere causæ formalis *denominat intelligentem*, & hæc *denominatio* vocatur actus operativus, adeoque *producere* intellectionem, non est formaliter intelligere, sed ipsum *operari* intellectionis productæ est formaliter intelligere, unde patet *dicere* esse *producere*, verbum dictum est intellectio; extranei verò ut Ægid. quodl. 13. Gotfr. 4. & 1. quodl. volunt, quòd intelligere sit recipere speciem, alij actum productivum, receptivum & operativum simul requirunt, sed hæc esto concurrant, formaliter intelligere est operari. Conclusio interim de creatis intellecta

Probatur primò: si intellectio esset distincta à verbo mentis, vel foret qualitas, vel actio, nihil dici potest; Ergò &c. Probatur Minor: non qualitas distincta ùt concedunt, quia nec antecedens, vel consequens verbum poni posset, & unum superflueret; nec actio, quod sic Probatur: intellectio est id quo intellectus denominatur intelligens, sed tale quid non est actio productiva alicujus termini, qualem Thom. ponunt; Ergò &c. Probatur Minor: id quo paries denominatur albus, quo subjectum denominatur calidum, non est talis actio, sed qualitas;

Ergò & id quo denominatur intelligens erit qualitas, atqui hoc eſt intellectio; Ergò &c.

Reſpondent: id quo agens denominatur calefaciens eſſe actionem, ſic & quo vocatur intelligens. Contra: producere albedinem non eſt eſſe album, producere calorem non eſt eſſe calidum; Ergò nec producere intellectionem, vel verbum eſt eſſe intelligentem, itaque vel calefacere ſignificat producere calorem, vel cum calore producto denominare calidum; ſi primum, convenit cum actu productivo: ſi alterum, cum operativo.

Confirmatur: ipſa intellectio eſt actio immanens & grammaticalis ajunt Maſtrius & Compendiatores, ſed meliùs philoſophica in genere cauſæ formalis, atqui hæc non habet terminum diſtinctum, ùt patet in exemplis allatis, & 9. Metaph. tex. 16. actio immanens per hoc diſtinguitur.

Reſpondent: tranſeuntem habere terminum in alieno ſubjecto, immanentem in eodem in quo eſt. Contra: hoc de immanente efficiente verùm eſſet, at non formali. Inſuper Ariſt. l. ci. vocat intellectionem actum ultimum, & ultimam operantis perfectionem; Ergò nec in eodem aliud producit.

Probatur ſecundò: quia præter intel-

lectum,

lectum, & objectum causas, ac intellectionem effectum, superfluit aliud verbum; neque intelligere est purum recipere nisi per receptionem putarent denominationem qualitatis receptæ, neque in omnibus actibus concurrentibus, quia Deus posset producere intellectionem in homine, quæ in eo recepta illico operaretur; Ergò formaliter in tali actu operativo consistit: ubi tamen sciendum est, non omnem intellectionem esse verbum, licèt è contra; sed tunc vocatur verbum, quando intellectio est cum his circumstantijs, quippè si est à memoria fœcunda, id est: à potentia cum objecto & quidem *naturaliter producta* nam intellectio essentialis in divinis communis non est *producta*, sed simplici emanatione, an verò visio beata sit verbum, alibi dicam; & si dicant B. Virginem genuisse Christum liberè; Ergò nec opus est quòd verbum mentis parturiatur naturaliter. Respondetur: ipsam maternè naturaliter genuisse, suppletionem autem factam à Spiritu Sancto, pro patre per accidens liberum fuisse, sed de his aliàs.

Obijcies I. intellectio est actio immanens, sed hæc debet habere terminum distinctum; Ergò &c. Respondeo Distinguendo Minorem: si est efficiens C. si for-

malis N. deinde per intellectionem sœpè confundunt actum productivum, quod est iniquum.

Instabis: dictio est actio efficiens, sed intellectio est idem quod dictio; Ergò &c. Probatur Minor: dicere est ore loqui; Ergò intelligere est mente loqui. Respondeo Distinguendo Minorem: intellectio in fieri C. in facto esse N. nam actus productivus est dictio, at non operativus, igitur ilia actio quæ producit verbum vocale est dictio,& quæ producit verbum mentis est dictio.

Instabis: intellectio in facto esse est dictio; Ergò habet pro termino distinctum verbum. Probatur Antecedens: intellectio in facto esse est actus intellectûs, sed dictio mentalis est actus intellectûs; Ergò &c. Respondeo ùt supra: dictionem esse actum intellectus *productivum* vel in fieri, & hic potest dici via actio, intellectionem verò esse actum operativum formaliter.

Instabis: intellectio nequit dici qualitas ex Arist. 7. Phys. & alibi, & quia habet objectum circa quod; Ergò est actus productivus & actio propria. Respondeo Negando Antecedens: & dico Arist. vel loqui de actu productivo, vel negare quòd sit qualitas permanens, aut sinè ordine, di-

dicit enim illa velùt omnis actus vitalis transſcendentalem ordinem repræſentantis ad repræſentatum realiter, formaliter verò eſt qualitas, ſic etiam dic indiſpenſabiliter debere recipi, quippè hæc & ejusmodi pertinere ad realem fabricam, non verò eſſe formale conſtitutivum intellectionis.

Obijcies II. quæ habent diverſa principia productiva ſunt diſtincta, ſed verbum, & intellectio habent talia; Ergò. Probatur Minor: verbum fit per dicere, intellectio per intelligere; Ergò &c. Reſpondeo ex dictis conſtare, quòd ſit idem dicere, & intelligere productivè, vocatur ergò intellectio, quia eſt actus vitalis potentiæ cognitivæ repræſentans objectum per modum idoli (quod non ſufficit ad eſſe verbi, út hallucinatus fuit Lalemandet) vocatur verò verbum ob circumſtantias additas in probatione ſecunda.

Inſtabis: verbum poteſt intelligi; Ergò nequit eſſe intellectio. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: cognitione directâ N. reflexâ C. & retorqueo quòd prima cognitio reflexè queat cognoſci, non quà talis, ſed rationem objecti induens.

Obijcies III. verbum in divinis non eſt intellectio; Ergò nec in creatis. Proba-

tur Consequentia: *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Respondeo Distinguendo Antecedens; non est intellectio ingenita C. genita N. ubi de Deo Trino, ponentur in divinis duæ intellectiones proportionatâ dualitate: Aug. verò pro hac, vel illa citari solitus ex dictis explicandus est. Tandem jam robur habent ex perplexis modis procedendi Thom. ex nostris præ alijs *turpiter* errat Bacconius verbum, & intellectionem asserens esse unum, & tamen intellectionem esse *actionem* efficientem, Mastrius verò & Compendiatores *nimis* solliciti, causam formalem vocant *grammaticalem*.

## QUÆSTIO III.

### *Quodnam sit Objectum intellectûs creati?*

DIco: Objectum intellectûs creati est ens latissimè sumptum. ita Sco. in lib. de Ani. q. 19. & in lib. sentent. frequenter, & in re communis est, licèt D. Thomæ tribuatur quod objectum posuerit quidditatem materialem, alijs alia. Pro quorum intelligentia

Præmittenda sunt sequentia: *primum* est quòd intellectus humanus possit considerari pro statu isto, quo est alligatus sensibus, & sic solet statui ab alijs ens materiale

riale, vel ſenſibile, & pro ſtatu ſeparationis, quo illi tribuitur univerſaliùs, at concluſio potiùs cenſeatur de utroque: *ſecundum*, eſt quòd objectum ſit aliud naturalis attingentiæ, quod viâ ordinariâ attingitur, aliud naturalis inclinationis, quod quidem potentia petit cognoſcere, ſed nequit niſi elevata, ubi volo, quòd entia Spiritualia, & rerum differentiæ pertineant ad objectum inclinationis, non attingentiæ, puto de differentijs, quoad *quæ* ſint, non *quid* ſint: *tertium* quòd & objectum vocetur motivum, & terminativum, motivum ſupponit pro eo quod inprimit ſui ſpeciem, terminativum quod merè terminat reſpectum attingentiæ, uti creatura ſe habere *dicitur* reſpectu divini. Nunc Probatur: tum quia illud poſui objectum Metaphyſicæ; tum quia illud eſt ratio objectiva ab omnibus poſſibilibus per aſſenſum, ab impoſſibilibus per diſſenſum participata; tum ſi quæ inferiora excipienda videntur, loquuntur de objecto naturalis attingentiæ, vel præcisè motivo, quâ ratione oppoſitæ opiniones conciliantur; tum quia illud de omni cognoſcibili prædicatur; tum tandem quia ipſum ens latiſſimè ſumptum intelligitur, & omnia contenta ſub ipſo intelliguntur.

Reſpondent: pro ſtatu ſeparationis &

ex natura potentiæ transeat, pro statu isto N. Contra: defacto explicatur, & quòd quædam obscurè duntaxat cognoscamus, ac per speciem alienam, item quòd rerum differentiæ nos lateant, signum est quòd hæc pro statu isto non pertineant ad objectum naturalis attingentiæ, imò verò hoc de adæquatè perceptibilibus istis intelligo.

Respondent alij: ens sumptum pro conceptu abstracto, vel personaliter pro hoc, & illo ente esse objectum N. proùt supponit absolutè, id est: ratione generali, & speciali entium C. Contra: si loquamur de objecto prædicationis, in suppositione simplici intelligitur objectum esse sivè in recto, sivè in obliquo de quibusdam dicatur, si verò loquamur de objecto communitatis, vel continentiæ, in suppositione absoluta sumatur, geometricè versùs infinitum ejúsque perfectiones.

Obijcies I pro statu isto ens sensibile ac materiale est objectum nostri intellectûs; Ergò non latissimè sumptum. Probatur Antecedens: tum quia est illi proportionatum, siquidem & materia inclusa sensibili uti potentia alligata sensibus; tum quia *nihil in intellectu, quin prius in sensu*; tum quia spiritualia, & metaphysicalia non nisi per umbram, & dubiè percipimus.

Re-

Reſpondeo Negando Antecedens Probationes ſolvo: non requiri proportionem in eſſendo, ſed ſufficere in repræſentando, quæ licèt facillima ſit inter ſenſibilia utpote magìs nota, eſt tamen geometricè ad minùs, & per inclinationem etiam de Deo, dependenter quoque à fide de intelligentijs, & independenter ſatis clarè de conceptibus objectivis, imò centies clariùs, quàm de ſuppoſita *materia*.

Inſtabis: intellectus humanus alligatus ſenſibus non poteſt præter ſenſibilia aliquid diſtinctè repræſentare, neque Deum, utpote infinitè perfectum, neque Angelos, animas &c. ſolâ fide nota, neque differentias rerum quæ nos latent. Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens: per propriam ſpeciem C. per alienam N. inſuper dixi: quòd Deum attingat geometricè, quantùm licèt pro hoc. Cætera topicè, & quoad quid ſint, eſto non an, & quæ ſint.

Obijcies II. Si ens foret objectum vel ſub ratione entis, vel ſub ratione veri. Reſpondeo quòd magìs primariò ſub ratione entis ſit objectum, præſertim prædicationis concomitanter verò ac *conſecutivè* ùt loquitur Niger ſub ratione veri, ſic Thom. cum Scoto concliabis.

Quæri hìc ſolent: quid ſit cognitio intui-

tuitiva? quam Scotistæ esse de re præsenti quà tali; ac abstractiva quæ est de absentibus vel *præsentibus per accidens*, item an intellectus possit plura disparata attingere? nam de subordinatis conveniunt, & quidnam sit primum cognitum, singulare an universale, in quibus cùm alij sint fusiores quàm perspicui, nolo operam perdere, donec materiæ exigentia poscet.

# DISPUTATIO V.

## *De Voluntate.*

DE hujus proprietate, vel libertate nonnihil in Ethica traditum est, super est quasdam hìc agitari solitas difficultates examinare; supposito quòd formaliter ab intellectu distinguatur. sit

### QUÆSTIO I.

### *Quid sit Voluntas?*

DIco: Voluntas est potentia immaterialis non modo passiva, sed etiam activa liberè. ità Sco. in 2. d. 25. q. un. & quodl. 6. ac alij communiter hinc inde in modo explicandi, vel probandi discordes.

Probatur primò generatim: exprimitur enim in quo conveniat cum potentijs organicis, scilicet quòd sit potentia passiva

va, & activa, & in quo disconveniat, scilicet in immaterialitate, & licèt in hac cum intellectu concordet, differt ab eo, per ly *liberè*, siquidem sola voluntas libera est, vel libertatis speciebus enumeratis in Ethica, vel saltem libertate essentiali, reliquæ verò potentiæ, si quam libertatem habere gestiant, participant illam dependenter à voluntate.

Probatur secundò speciatim, & quidem quòd sit immaterialis ex eo, quod nullum organum appareat à quo dependeat, & quòd cognitivæ inorganicæ correspondere debeat appetitus immaterialis; porrò sicut innui modum defendendi in homine non esse distinctum sensum internum ab intellectu, ita potiùs non esse appetitum sensitivum distinctum, nisi solâ terminatione â voluntate, non tamen *similem* in brutis esse volo, esto de *ratione* permitti posse judicaverim, sed proportione servatâ in ultimo modo defendendi intellectum, & sensum in brutis differre, vide Disput. 3. q. 3. *& hac viâ incedendo*, nisi appetitum sensitivum cum fomite peccati confundas de quo Apost. & alij loquuntur. Deindè quòd sit & passiva, & activa, Probatur sicut de intellectu, insuper quia naturale & liberum sunt differentiæ agentis; item ex varijs Authoritatibus Trid.

6. Sess.

6. Sess. can. 6. & ubicunque insinuatur esse in potestate hominis facere, vel non facere, ex quo refellitur à Mastrio constanter P. Arriaga, putans salvari libertatem in voluntate, etsi merè passivè se haberet, nam indifferentia passiva est in materia, & tamen hæc libera non est, dein, jam dixi quòd naturale & liberum dividant agens.

Tandem quòd sit libera deductum est in Ethicis, & à posteriori, ac experientiâ constat; quòd verò ipsa sola sit libera, constat, tum quia appetitum sensitivum distinctum propriè activum in homine non admitto. Nec dicas concupiscentias militare, & agere adversus Spiritum, illæ enim sunt inclinationes passivæ, vel ad summum volitiones inefficaces; tum quia aliæ potentiæ, si quid liberè agant, id imperat voluntas; tum quia meritum & demeritum à potentia libera soli voluntati tribuitur, reliquis participativè.

Respondent aliqui: de facto C. de possibili N. sed quod est ex natura potentiæ, est omninò indispensabile, at liberè se determinare est ex natura potentiæ; Ergò &c. Minor est Sco. 9. Metap. q. ult. ubi libertatem dat voluntati, quia voluntas tale ens est, & nos eam experimento velut à posteriori inferre docet.

Objicies: neque voluntas creata, neque

que divana eſt activa liberè; Ergò &c: Probatur Antecedens: ſi humana eſſet libera vel dum actus ponitur, vel dum ponendus eſſet, nihil videtur poſſe dici, quin vel tollatur libertatis uſus, vel indifferentia. Reſpondeo, quòd ſit libera ante actum, & quòd ſe ad eum liberè determinet, ponendo illum ex natura ſua, id eſt: quod alij dicũt *indeterminationem de poſſibili*, ſtare *cum determinatione de in eſſe*.

Inſtabis: quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt; Ergò ſuppoſitô quòd actus ſit poſitus, non eſt liberè poſitus. Reſpondeo Diſtinguendo axioma *neceſſe* eſt, neceſſitate ſuppoſitionis C. neceſſitate antecedenti N.

Inſtabis: ſaltem divina voluntas non ſpirat liberè, quia Spiritus Sanctus exiſtit neceſſariò. Reſpondeo quòd non ſpiret liberè libertate contingentiæ C. eſſentiali libertate N. hìc hallucinantur alij extra ſcholam Scoti quòd neceſſarium opponatur libero, videatur Ariſt. 2. Perih. ubi naturale libero, neceſſarium contingenti opponit.

Inſtabis: præter voluntatem, intellectus, & appetitus ſenſitivùs, gaudent libertate; Ergò adhuc non ſoli voluntati convenit definitio data. Nec dicas Antecedens eſſe verum participativè; tum quia

quia intellectus est rationalis, tum quia ipse voluntatem dirigit, de appetitu verò patet, quia hic ante omnem actum voluntatis sœpè demeretur. Respondeo: ex dictis patere solutionem, addens intellectum dirigere non sic ùt voluntas eum absolutè sequatur, sed præmonstrando quid expediat, vel non, atque ita rationalis dicitur; apetitus verò alius non est activus, nisi accedat volitio saltem inefficax, quam fortè Cajetanus prætendit veniale peccatum esse posse.

## QUÆSTIO II.

### *An Voluntas sit nobilior Intellectu?*

DIco: Voluntas est multò nobilior intellectu. ita Nobilissimè Sco. in 4. d. 49. q. 4. cum suis contra Thomistas, ac RR. plurimos, extranei utramque probabilem censent, & Lalemandet ait istas potentias se habere sicut excedens & excessum, sed parùm, vel nihil novi affert.

Probatur primò: potentia libera est multò nobilior non libera, sed; Ergò. Major Probatur: tum quia sic est in moralibus juxta illud: *non benè pro toto libertas venditur auro*; Ergò & physicis; tum quia hac ratione Ans. de Concep. Virg. Cap. 4. voluntatem reginam appellat, & Bern. de lib. arbi. rationem pedissequam: Minor jam·

jam probata eſt, & reſponſiones, & fundamenta oppoſita elidentur.

Probatur ſecundò: illa potentia nobilior eſt, quæ actus nobiliores cauſat, ac habitus recipit perfectiores, ſed; Ergò. Major conſtat à poſteriori, & comparando immateriales ad ſenſus. Minor Probatur: actus & habitus amoris ſunt nobiliores ſcientia, & quocunque intellectûs; Ergò &c. Antecedens Probatur: tum ex illo Apoſt. *major autem horum charitas*; tùm quia pejus eſt odium, quàm ignorantia, imò ad Eph. 3. *ſupereminentem* ſcientiæ charitatem.

Reſpondent, & putant ſe multum dicere Thomiſtæ: quòd actus voluntatis ſit nobilior in genere moris C. in genere entis N. Contra: voluntas ethicè eſt nobilior intellectu; Ergò & animaſticè. Probatur Conſequentia de ſe clara: actus voluntatis utroque modo eſt nobilior; Ergò &c. Probatur Antecedens: amor magis unit Deum in genere naturæ, & odium magis avertit, quàm uniat ſcientia & diſuniat ignorantia. Confirmatur: quia beatitudo formalis eſt actus voluntatis, & ſanè ſi loquamur in genere ac ſtatu gratiæ, exceſſivè nobilior eſt àctus, ac habitus charitatis *quæ nunquam excidit*: ſi loquamur in genere moris, idem eſt, imò

imò Ethnica, & ethica indoles agnoſcit odium majus malum eſſe ignorantiâ; Ergò & animaſticè.

Reſpondent: ſecundùm quid tranſeat, ſimpliciter N. Contra: intellectus ſimpliciter nobilior eſt ſenſu; Ergò voluntas intellectu. Probatur Conſequentia: non obſtante quod *nihil in intellectu, quin prius in ſenſu*, præſtat potentia immaterialis quia cognitiva; Ergò non obſtante quod *nihil volitum quin præcognitum*, præcedet voluntas.

Reſpondere poſſent: dependentiam intellectûs à ſenſibus eſſe duntaxat pro ſtatu iſto, non ex natura rei, ſicuti voluntas ab intellectu pendet. Contra: hoc eſto, intellectus *non ideo* præſtat ſenſu ſimpliciter, quia immaterialis eſt, *tanquam ob rationem primariam*, ſed potiùs *quia intellectus* eſt, id eſt: potentia cognitiva; Ergò etiam ſi voluntas prærequirat famulatum indiſpenſabilem conjuncti, vel alieni intellectûs producentis, adhuc quia libera eſt, quia moraliter & ſupernaturaliter exceſſivè nobilior eſt, quoque animaſticè excedet.

Probatur tertiò: quia illa facit ſimpliciter bonum, quia intellectui imperat, ipſa verò quocunque actu intellectûs prævio manet indifferens, quia nobilius objectum ha-

habet, nam bonum est antonomasticè bonum, verum tantùm aliquâ ratione, nempè veri bonum est, & probari posset diruendo fundamenta oppositæ, sed pro his

Obijcies I. voluntas habet suam conformitatem ab intellectu, & regitur ab illo; Ergò est nobilior intellectus. Probatur Consequentia: *propter quod unumquodque est tale, illud est magis tale*; Ergò &c. Respondeo Distinguendo Antecedens: elicitivè, vel imperativè, & despoticè, N. objectivè, ac præsuppositivè C. sed nihil evincitur.

Instabis: dato quòd intellectus non imperet voluntati, tamen voluntas solùm participativè rationalis potentia est & secundaria; tum quia intellectus intimior est animæ, utpotè differentia, tum quia voluntas magis assimilatur appetitui sensitivo, imò ipse S. Aug. in tantum hominem ad imaginem Dei inquit 3. supra Genes. ad litt. in quantum rationem habet, & ratio in homine & Angelo differentia est; Ergò &c. Respondeo: quòd voluntas sit potentia secundaria ordine C. dignitate N. natura autem ab imperfectioribus incipit, & juxta me citiùs voluntate differet homo bruto, sed stando communi

muni dico Aug. loqui de intellectu realiter identificato cum anima & voluntate.

Instabis: substantia prior est accidentibus naturâ & dignitate; Ergò & intellectus voluntate. Respondeo Negando Paritatem: quia intellectus; & voluntas sunt in eodem genere, sic etiam quantitas est prior qualitate, & tamen qualitas perfectior est. Cæterùm quando homo dicitur differre per *rationalitatem*, intelligitur per animam cum potentijs rationalibus.

Instabis: vivens est nobilius non vivente, & cognoscens non cognoscente, sed voluntas formaliter est non cognoscens; Ergò &c. Respondeo Negando secundam partem Majoris, vel Distinguo: in realiter distinctis C. formaliter N. quia appetere liberè cum ratione præsupposita, est nobilius puro cognitivo.

Obijcies II. intellectus habet nobiliorem actum, habitum, & objectum; Ergò &c. Probatur Antecedens; tum quia beatitudo consistit in intellectu; tum quia lumen gloriæ est perfectius charitate, illa enim in terris, hoc solùm in cœlis possidetur; tum quia verum est abstractius bono, & intellectus in universalia simplici intuitu tendit, voluntas in sola singularia. Respondeo Negando Antecedens,

&

& probationes: charitas inchoāta est quidem in terris, sed consummata est super omne lumen, & ipsa beatitudo, porrò & intellectus singularia percipit, nec verùm est, quòd verum sit abstractius bono.

Instabis: intellectus tendit ad abstractissima, extra omnem materiam, sed ille modus utpotè immaterialis, est subtilissimus; Ergò præcedit, & ex parte modi tendendi, & ex parte objecti. Respondent Scotistæ quidam, & voluntatem simplici affectu ferri in rationes communes, alij dicunt & meliùs, proindè non excellere intellectum, sed ex parte actûs attendendum esse, potissimùm & habitûs: unde dicunt, quod licèt voluntas stringatur *ad conveniens, per hoc ipsum* & modum tendendi liberè præcellit, utì non minùs per conjunctionem cum ultimo fine naturali, & supernaturali. Si dicas: Arist. præferre intellectum tanquam puriorem, & vitæ contemplativæ originem &c. Respondeo: quòd pro anima sumat.

## QUÆSTIO III.

### *An detur Omissio pura libera?*

Dico: quòd detur omissio pura libera. ità multi Scotistæ ac RR. contra Thomistas: sensus quæstionis est, an quando intellectus præponit voluntati quoddam

 ob-

objectum indifferens,hoc eſt:ità ut voluntas non potiùs unum, quàm alterum eligat, v. g. præponit duo motiva æqualia; quòd ſtudium die dominicâ ſit licitum, & illicitum, tunc quæritur an voluntas poſſit omittere ſtudium *purè & liberè*, *purè*, hoc eſt: ſinè omni actu poſitivo, volo, nolo ſtudere, *liberè*, ità tamen, ut omiſſio imputetur, quòd ſic

Probatur caſu allato: talis ponderatô utroque motivô poteſt ſinè ulla reſolutione poſitiva, aſpicere picturam aliquam, vel cœlum, & alijs diſtrahi, ut tempus diei tranſeat: Ergò purè liberè omittit ſtudium. Probatur Conſequentia: primò purè, quia ſuppono quòd nec reſolvat,volo,nec poſitivè nolo; dèinde liberè, quia prævio judiciô ſtudium eſſe licitum, omittit illud.

Reſpondent: ut liberè dicatur omittere, hoc non ſufficere, ſed requiri ad libertatis exercitium reſolutionem quandam. Contra: omiſſio illa eſt reſolutio non quidem facta actu poſitivo, ſed negativo, id eſt: purè omittendo.

Reſpondent alij: omittere quidem, ſed ſinè judicio. Contra: ſufficit judicium antecedens quòd ſit licitum, nam virtualis præcognitio ſatis eſt ad imputabilitatem, qui enim amat durante actuali amore, non ponderat finem ob quem. Re-

Respondent alij: esse quidem omissionem liberam, sed non puram. Contra; nec positivè resolvit quòd velit studere, nec quòd nolit, & tamen omittit.

Respondent: quòd positivè nolit virtualiter, licèt non formaliter. Contra: ut actus censeatur positivè virtualiter permanere, debet fuisse antecedenter actualiter, ut patet de intentione in Sacerdote distracto tempore missæ.

Confirmatur: aliter omittit studium, qui die dominicâ picturas, cœlum & alia aspiciendo tempus terit, nihil positivè resolvendo quòd velit, vel nolit studere, si non habuit cogitationes de studio licito, aliter qui habuit antecedenter tales cogitationes, sed prior purè omittit absque imputabilitate; Ergò posterior cum imputabilitate.

Objicies: Voluntarium est quod procedit à voluntate ut à principio, sed talis omissio sic non procedit; Ergò non est censenda voluntaria. Probatur Minor: quia voluntas nihil resolvit. Respondeo Distinguendo Minorem: omissio non est à principio agente, transeat, omittente N.

Instabis: vel ommittere est agere, vel non est agere; si primum, erit ab agente, cujus oppositum concessi, si secun-

dum, nihil eſt. Reſpondeo: quòd omittere, ſit agere negativè, id eſt: non agere, non verò poſitivè. Si dicas: Ergò nihil eſt; dico: tanquam ab agente poſitivè C. negativè, id eſt: omittente N.

Inſtabis: agere negativè, non eſt actus voluntatis, ſed omiſſio actûs; Ergò &c. Reſpondeo iterum: quòd non ſit actus poſitivus, ſed negativus, porro *omiſſio* actùs eſt etiam actus voluntatis.

Inſtabis: omnis actus intellectûs eſt poſitivus; Ergò etiam in voluntate, licèt omiſſio detur, hæc erit actus poſitivus. Reſpondeo Negando Paritatem: ſiquidem intellectus potentia naturalis eſt, at voluntas libera.

Inſtabis: cauſa libera à naturali differt in eo, quòd illum actum, quem naturalis cauſat, neceſſariò ponat, libera verò indifferenter ponat, vel non ponat, ita tamen ut ad alterutrum ſe poſitivè reſolvat. Reſpondeo Diſtinguendo ſecundam partem: libera &c. ſolâ libertate contrarietatis C. & libertate, contrarietatis, & contradictionis N. nam poſterior poteſt prævio judicio agere, & *non agere*, ideo vel poſitivè, vel negativè.

Inſtabis: dato quòd purè omittere, & negativè agere queat voluntas, non tamen

men imputabiliter. Probatur Aſſumptum: non fieret ex fine, ac cum judicio; Ergò non foret imputabilis. Reſpondeo Negando Aſſumptum, Probationem Diſtinguo: non fieret ex fine, & cum judicio concomitanti C. virtuali, & interpretativo N.

Inſtabis: Ergò etiam erit virtualiter poſitiva nolitio. Reſpondeo Negando Illatum, Diſparitas eſt: quia judicium quòd ſtudium ſit licitum ſupponitur præceſſiſſe, at nulla reſolutio: hic tamen benè eſt advertendum, quòd debeat utroque motivo ponderato ſequi actus compoſſibilis, cum ſtudio, vel nullus per modum animi abſtruſi, vel actus hominis, ſi enim actus humanus incompoſſibilis ſequeretur, virtualis, vel ſaltem interpretativa nolitio poſitiva ſtudij foret. Poncius hìc ineptè finem mediatè negat, ſi enim omiſſio talis ſinè fine eſſet, quomodo imputaretur, ſufficit ergò illum virtualiter permanere cum omiſſione.

Quæri hìc ſolet: an voluntas poſſit prædeterminàri, neceſſitari ad aliquem actum, & quænam ſit radix libertatis? ad quæ paſſim ex dictis & dicendis; poteſt quidem produci â Deo qualitas volitionis, ſed illa ſtatim denominaret volentem, eſt enim libera ad producendum, non cum

producta ad operandū, *nam quod est, quando est, necesse est*; radix verò interim sit divina voluntas, puta radix extrinseca libertatis creatæ, non verò indifferentia judicij Thomistici, intellectus enim famulatur potiùs quàm dominetur voluntati.

# DISPUTATIO IV.

## *De Habitibus & speciebus.*

SUper est de quibusdam comprincipijs potentiarum agere, quo cùm æque habitus, ac species tum sensibiles, tum intelligibiles pertineant, de ijs hac ultimâ disputatione dicetur.

### QUÆSTIO I.

### *Quid, & unde sint Habitus?*

DIco: quòd dentur in potentijs quibusdam habitus generati ab actibus consimilibus, qui sunt qualitates potentiam facilem reddentes effectivè concurrendo ad novos actus. ita Sco. in varijs locis.

Declaratur conclusio quoad singulas partes: *primò* dicitur quòd dentur *habitus*, & constat experientiâ, nam pictor qui multas figuras pingit, paulatim acquirit *facilitatem*, id est: *habitum* pingendi &c.

Respondent aliqui: pictorem fieri faciliorem ob majorem dispositionem organi v.g.

v.g. manûs C. ob qualitatem acquisitam N. Contra: stante eâdem dispositione physicâ, à non facili transit ad esse facilem, uti Philosophus multa argumenta faciendo, fit facillimus per habitum Logicæ. Nec obest: cur talis qualitas admittatur.

Dicitur *secundò* in quibusdam potentijs: ex quo desumendum est, potentias esse subjecta habituum, & quidem de rationalibus, ac sensitivis internis, qui eas admittunt, passim conveniunt, at lis est, an habitus sint in vegetativis sensibus externis, & loco motiva, ad quod dicitur, non esse in ijs habitus, quum sint summè ad unum determinatæ, & si opponas, quòd quoque perfectiores subinde actus eliciant, ac promptiores fiant.

Respondent: hoc ex imutatione temperamenti, & dispositionum oriri, sed mihi probabilior videtur, quòd & in potentijs externis, ac præsertim locomotiva queat generari habitus, non modo in homine, sed & brutis; tum in cursoribus; tum in feris, quas insectando canes iterato agiliùs & vident, & capiunt; tum si ad immutationem temperamenti & dispositionum recurras, omnis habitus negari poterit: accedit quòd illæ potentiæ participativè sint liberæ.

Dici-

Dicitur *tertiò* quòd habitus generentur ab actibus consimilibus, & probatur ex eo, quòd fabricando fabri fiamus, & quòd sola voluntas nequeat dici eorundem principium, aliàs simul & semel fieri possent, cum tamen constet paulatim acquiri; deinde si voluntas causaret habitus, producerentur liberè, hoc non; Ergò nec illud. Major patet: quia voluntas intrinsecè est principium liberum. Minor Probatur: nam eliciens multos actus alicujus virtutis, vel vitij, etiamsi nollet, tamen habitum illius acquireret.

Dicitur *quartò*, quòd habitus sit qualitas potentiam facilitans duntaxat, & patet ex hoc, quòd potentiæ sint activæ, & objecta quoque concurrant ad actus; Ergò habitus non dant esse simpliciter; Ergò solùm facilitant, cum hoc tamen stat quosdam esse simpliciter necessarios, non velùt totale principium, sed per modum comprincipij necessariò requisiti, ut de habitu Logicæ, & quidam de lumine gloriæ docent.

Dicitur *quintò*, quòd habitus effectivè concurrant; Probatur: potentia habituata minorem conatum adhibet; Ergò habitus supplet virtutem effectivam potentiæ ex parte. Confirmatur: habitus quidem in genere causæ formalis potentiam habi-

habituat, eámque disponit, & inclinat ad agendum, sed insuper *potentia sic inclinata eodem conatu quo sinè habitu producebat v. g. actum intensum ut 3, jam habituata producet 4. & ultra*; Ergò non modò habitus disponit, sed coöperatur.

Obijcies I. contra, quod dictum est habitus generari ab actibus: vel actus unus, vel plures causarent habitum, idque vel partialiter, vel totaliter, nihil videtur posse dici; Ergò, &c. Probatur Minor: non unus, quia imperfectior est habitu, nec plures, quia habitus simùl infunditur, & acquiritur, nec partialiter, aliàs voluntas principaliter, & liberè concausaret, nec totaliter, quia habitus est perfectior actibus, & potentia est causa actus & habitus. Respondeo: quòd plures actus sint causa totalis immediata alicujus habitûs, hinc dico: potentiam mediatè concurrere, actus verò singulos quid habitus causare, ità tamen ut actus semper sit intensior illo gradu, quem in habitu producit, non verò prioribus gradibus jam acquisitis.

Instabis: habitus est perfectior multis actibus; Ergò nequit ab ijs immediatè totaliter produci. Probatur Antecedens: bonum diuturnius est perfectius transeunti, sed; Ergò. Respondeo Negando Antecedens: quia actus immediatiùs unit potentiam

tentiam objecto; Probationem Distinguo: cæteris paribus C. imparibus N.

Instabis: habitus est perfectior actibus ad quos concurrit; Ergò & ijs à quibus generatur. Consequentia clara est, posteriores sunt enim similes prioribus. Antecedens probatur: causa æquivoca præstat effectu, sed; Ergò. Respondeo habitum esse causam partialem posteriorum actuum, quæ non solet esse perfectior, si minùs principalis est; deinde negari potest Consequentia, quia priores actus habitum producentes, licèt fuerint remissiores toto habitu, singuli tamen debuerunt esse perfectiores in gradu, & omnes unitim ipso habitu.

Instabis: licèt habitus non sit perfectior actibus, adhuc ab ijs nequit totaliter generari, aliàs actus separatus à potentia æquè habitum causaret. Respondeo Distinguendo Sequelam: ex parte virtutis in actu C. ex parte conditionum N. necesse est enim actum esse in potentia ut vitaliter operetur, potentia Ergò mediante actu habitum producit.

Obijcies II. contra: quòd habitus effectivè concurrat ad actus: tum quia videtur mutua causalitas; tum quia actus producerent principium sui similium; tum quia potentia se solâ cum objecto potest agere: Re-

Respondeo: quòd habitus non producat actus eosdem, à quibus est, sed similes, velut principium partiale, sinè quo potentia potest agere simpliciter transeat, æquè facilè N. dico transeat: quia in artificialibus, & supernaturalibus juxta hos, vel illos omninò sunt necessarij.

Instabis: potentiæ possunt facilitari ab habitu absque eo, quòd effectivè concurrant; vel suppleant virtutem potentiarum, imò si supplerent, illam totam supplere possent. Respondent aliqui: probabile esse habitum passivè se habere, sed quidquid ex Sco. in 1. d. 17. q. 2. extorqueant N. Antecdens *ob rationem signatam*, & Sequelam N. cum non sint causæ ejusdem ordinis.

Obijcies III. vel habitus causaret actus se remissiores, vel intensiores, idque vel ex parte modi, vel ex parte substantiæ. Respondeo singula dici debere, urgentia oppositum solvuntur per hoc, quòd habitus sit causa partialis.

Quæres: quomodo habitus corrumpantur? Respondeo per actus contrarios primariò, secundariò quoque per omissionem actuum, quòd si actus contrarij generent novum habitum priori contrarium, generatio unius erit corruptio alterius, nec opus est formali contrarietate, sed virtualis sufficit.

QUÆ-

# QUÆSTIO II.

## *An, & quid sint Species sensibiles?*

DIco: quòd in sensibus externis dentur quidem species expressæ, id est: sensationes, & quòd etiam dentur quarundam rerum species externæ sensibiles, sed non dari species sensibiles impressas. sic proposita est à nemine.

Declaratur, *primò* cum omnibus Philosophis admitto dari sensationes, id est: visionem, auditionem, &c. easque voco species expressas, ac similitudines formales objectorum sensibilium, & illas supposità animâ in ejusdem potentijs organicis, dico qualitates locatas esse, circa quæ nulla est controversia.

*Secundò* dico, quòd dentur species externæ, ac objectivæ sensibiles, quæ nec sunt expressæ, nec impressæ similitudines in potentijs, sed extra potentias, easque *sensibiles* ut quod, & ut quo *imaginariè* affirmo, & experientiâ convinco, v. g. in speculo est species sensibilis corporis cujuscunque ante illud, *quæ* videtur, & est illud *quo* quasi videtur repræsentatum, ac has species in principijs Aristotelicis nescirem communi titulo afficere, quia quædam sunt reales ut picturæ, statuæ, imagines, quædam intentionales, ac velùt entitatis diminutæ, ut in spe-

ſpeculo, aqua lympida, &c. proinde eas dico eſſe quædam ſenſibilia objectiva, & ſimul ſigna aliorum ſenſibilium, circa quæ nullum dubium mihi occurrit, maximè cum à nullo ſic explicata legerim.

*Tertiò* affirmo: quòd non dentur ſpecies ſenſibiles impreſſæ, ita Durandus in 2. d. 3. q. 6. quem ſequitur *Lalemandet* ſed ſœpè numero *titubans* contra omnes modernos Philoſophos, quorum tamen plures eas ſupponunt, quàm probant uti de Scoto fatetur P. Maſtrius Diſp. 4. in lib. de Anima q. 4. n. 37. duabus igitur primis partibus abunde declaratis

Probatur primò, quòd non dentur ſpecies ſenſibiles impreſſæ ex diſconvenientia in jis explicandis, & pluralitate difficultatum nullo modo neceſſariarum: porrò eas admittentes, in hoc quidem conveniunt, quòd ſint qualitates impreſſæ potentiis, ac in iis ſubjectatæ, & vix ſciunt entitatem illarum ſpecierum explicare, & *diſconveniunt* á quo producantur, alij eas docent pullulare ab objectis ſenſibilibus, alij produci à Deo, ab Angelis, alij ſenſum agentem diſtinguunt à paſſivo, quorum nihil neceſſarium, aut congruum, & quidem ſi ab objectis pullularent, paſſiones forent in ijs ſubjectatæ, ſi ab objecto producantur, quæro: vel

vel totaliter, vel partialiter cum ſenſu: ſi primum, æquè ſenſus merè paſſivus reſpectu expreſſarum poni poſſet: ſi ſecundum, erit ſenſatio prima, & expreſſa ſecunda.

Deinde diſconveniunt an ſint ejusdem, vel diverſæ naturæ ab objectis, primi quidem errant, quia objecta contraria ſunt ſæpè; Ergò naturaliter ſpecies contrariæ albi & nigri eſſent v. g. in eodem oculo. Nec dicas: eſſe ejuſdem naturæ in repræſentando, non eſſendo, ſicut expreſſæ ſpecies, hoc quidem benè dicitur, ſed quæro: an ſint materiales, vel ſpirituales, & ejuſdem entitatis phyſicæ cujus objectum? non ſecundum, quia ſunt à cauſa materiali, & effigies materialium; nec primum, quia tales qualitates fingere nec eſt neceſſe, nec dicere an ſint primæ, vel ſecundæ. at ſi ad eſſe diminutum recurras, de objectivis dices. Inſuper diſconveniunt, an ſint diviſibiles, vel indiviſibiles, an ſint formales ſimilitudines ut imago, vel virtuales, ùt ſemen, &c.

Probatur ſecundò eas non dari: ſpecies ſenſibiles impreſſæ vel ſunt ille actus, quo quis ſentit objectum, vel ſunt quid diſtincti; ſi primum, hunc ſenſationem & expreſſam voco; ſi ſecundum ipſæ quoque ſentiri poterunt, utì ſignum intellectivorum

intel-

intelligi poteſt. Confirmatur: vel ſunt ſenſibiles ùt quo, vel ùt quod; ſi primum, eſt ipſa ſenſatio; ſi ſecundum, ipſa primò ſentiri debet, quia ſignum quod cognitum ducit in cognitionem alterius, ex Sco. in 2. d. 3. q. 1. vide logicam meam Tract. 2. d. 1. q. 1. idque inductione patet, primò enim cognoſcitur ſtatua Cæſaris, quàm Cæſar, &c. Ergò primò ſentiri debet ſpecies impreſſa ac objectum, ſed hoc eſt contra experientiam, niſi de objectivis loquaris; Ergò, &c.

Reſpondent: ſpecies eſſe idola, vel imagines velut ſigna formalia. Contra: hujus falſitas conſtat ex D. ci. ubi formale ſignū actuū appellat, inſtrumentale verò eſt illud quod.

Reſpondet Maſtrius: nec eſſe *ſimilitudinem objectivam, vel medium quod*, nec ſimilitudinem formalem. Contra eſt: quòd nec aliud aſſignet, nec aliud admitti queat.

Probatur tertio: entia præſertim infinitas difficultates annexas habentia, non ſunt admittenda ſinè neceſſitate, quando nec eorum cauſa, nec effectus, nec entitas, nec proprietates, nec aliquid ex his ſinè novo errandi periculo conſtat, ſed; Ergò, ùt Minorem probatam conſpicias

Obijcies I. experientiâ conſtat dari ſpecies in ſpeculo, aquis, perſpectivis, &c.

G Re-

Respondeo Distinguendo Antecedens: objectivas extra potentiam C. in potentijs, quæ nec sint signa *quo*, id est: actus, nec signa quæ, id est: sensibilia N. Si petas: unde oriantur tales species objectivæ? dico: ex natura & sympathia sensibilium, utì quòd magnes attrahat ferrum.

Objicies II. objectum & potentia, v. g. visus, non possunt causare sensationé v. g. visionem; Ergò debet admitti species impressa objecti. Probatur Antecedens: objectum est distans, sed nihil agit in distans; Ergò, &c. Respondeo Negando Antecedens: ad Probationem aliqui olim negabant suppositum *objecta* sensuum esse activa, sed hoc dato aliqui Respondent Distinguendo Minorem: nihil agit in distans quod est absque singulari sympathia C. quod cum tali N. sed hoc valet de rebus objectivas species v. g. in speculo producentibus potissimùm; dicatur ergò objectum agere in distans cum effectu diversi ordinis per medium scilicet illuminatione medij si est objectum visûs, de alijs objectis nego suppositum; quòd in distans agat, quia nec tango, nec gusto nisi præsens, nec audio, nec odoro, nisi odor, vel sonus ad aures pertingat usque: sic ergo objectum & potentia se simul determinant per actum secundum, & hinc patet cur ad visionem

ſionem requiratur illuminatio medij quodammodo ab objecto proveniens.

## QUÆSTIO III.

*An dentur Species intelligibiles?*

DIco: quòd quidem detur ſpecies expreſſa, vel intellectio, & quòd pro cognitione abſtractivá etiam dentur ſpecies objectivæ, ſed nullas dari ſpecies impreſſas in intellectu. Hæc quoque conciliare debet Durandiſtas omnes ſpecies negantes, ac alios Philoſophos eas omninò defendentes.

Porrò quòd detur cognitio rerum, res ſole eſt clarior, quòd quoque ſpecies objectivæ pro cognitione abſtractiva ſic Probatur; recordamur præteritorum, & abſentia velùt præſentia cognoſcimus, ſed hoc eſt habere ſimilitudines objectivas rerum; Ergò &c.

Reſpondent Diſtinguendo Minorem: menti impreſſas C. aliter N. Contra: illæ ſupplent objectum cognitionis intuitivæ, & quia abſentes, aut ſinè reduplicatione præſentes faciunt cognitionem abſtractivam; Ergò ſicut defendam objectum intuitivæ omninò eſſe extra mentem, ita & illæ imagines rerum âbſentium. Quod ſi petas: an ſint quid reale? Reſpondeo: quòd quidem nobis imagine-

mur illas non modò esse intelligibiles, sed etiam sensibiles, v. g. Pragæ existens recordatur urbis Viennensis, ac putat se illam videre, sicut in speculo est species sui ipsius, sed revera nullum esse habent nisi sensibile imaginarium, & intelligibile objectivum, quod rationis est. nunc

Probatur, quòd non dentur species intelligibiles impressæ; vel enim essent necessariæ pro cognitione intuitiva, vel abstractiva, nihil dici potest; Ergò &c. non primum ùt habet Sco: 1. d. 3. q. 6. tum quia objectum licèt sit materiale, jam defendi suprà posse partialiter ad cognitionem concurrere; tum quia intuitiva est de præsenti objecto quà tali, ùt ultrò dicam de visione beata; nec requiritur pro abstractiva, quod sic Probo ( præterquam quòd ipse Sco: q. 17. de anima hanc probabilem judicet, & ferè Poncius, ac alij seqvaces) si pro cognitione abstractivâ requireretur species intelligibilis, esset ideo, quia objectum absens est, & ejus vicária concausa ad generandam intellectionem alia non pateret, hæc ratio nulla est; Ergò &c. Probatur Minor: jam enim dixi tali casu esse speciem objectivam quandam, quæ nequaquam debet dici impressa velut qualitas, sicut quando cognosco hircocervum, præter

speciem

ſpeciem expreſſam nihil eſt niſi hoc eſſe objectivum combinati hirci & cervi, ſic etiam recordans præteritorum, habet duntaxat imaginem rei pro objecto, quam quidam contendunt habere eſſe quoddam diminutum, ſed quia non eſt niſi ab intellectu intelligente, rationis dicatur, & ad ſummum de ſenſibili tranſeat, quòd quoddam eſſe diminutum habeat, cùm ſit apparenter ſenſibile.

Probatur ſecundò: voluntas ſivè in præſens, ſivè in abſens feratur, non indiget ſpeciebus; Ergò nec intellectus. Item Deus, & Angeli ſinè ſpeciebus dicentur materialia percipere, & ſanè ſi objectum materiale ſpeciem ſpiritualem poteſt cauſare, cur non & intellectionem. Et immeritò ſupponunt ſenſum internum diſtinctum in homine, item intellectum agentem & patientem pro fabrica talium ſpecierum.

Objectiones plurimæ laborant vel falſô ſuppoſitô, vel ex alibi traditis ſolvi queunt, & omnes illæ quæ quoddam pondus videntur habere, enervabis concedendo præter intellectinonem, & objecta, *ſpecies objectivas* tam intelligibiles, quàm ſenſibiles, & has ſanè in ſpeculo nemo audet negare, ſed benè in potentia viſiva, in oculo quidem eſt etiam ſimilis ob tranſparen-

parentiam figura objectiva, non quà potentia visiva est, sed quatenus est lympidum organum gaudens simili sympathiâ, ac speculum.

Colliges finaliter: ordinem sensationis ac intellectionis non aliter fieri, quàm ad absolutum potentiæ & objecti approximati, sequi absolutum intellectionis, vel sensationis, quæ qualitates potentiam illicò denominant, & in objectum tendunt; cætera quæ immiscent alii superfluere, & negantes omnem speciem etiam objectivam experientijs convincendos esse, at medium tenuêre beati, donec de beatis, & Angelis, de his, & similibus iterum dicturi. sit Nomen Domini & Virginis Im̃aculatæ benedictum.

*O. A. M. D. G.*

# INDEX CONTENTORUM.

## TRACTATUS UNICUS In Libros de Anima.

### DISPUTATIO I.

*De Anima secundum se.*



### DISPUTATIO II.

*De Divisibilitate, Vita, ac Potentiis Animæ in genere.*



### DISPUTATIO III.

*De Sensibus.*



DIS-

# DISPUTATIO IV.

## *De Intellectu.*

Quæſtio 1. Quid, & quotuplex ſit Intellectus.? 2. Quid ſit Actus Intellectus? 3. Quid ſit Objectum intellectûs?

# DISPUTATIO V.

## *De Voluntate.*

Quæſtio 1. Quid Voluntas? 2. An Voluntas ſit nobilior intellectu? 3. An ſit poſſibilis Omiſſio pura libera?

# DISPUTATIO VI.

## *De Habitibus, & Speciebus?*

Quæſtio 1. Quid, & unde ſint Habitus? 2. An dentur Species ſenſibiles? 3. An dentur ſpecies intelligibiles?

Reliqua ſcitu digna his immixta videbuntur, ac de viſione beata, aut alibi repetentur.